ANNUÆ MEDITATIONES
EX
SACRIS BIBLIIS
DESUMPTÆ,
Et in tres vias
Purgativam, Illuminativam, & Unitivam,
Per singulos totius Anni dies
DISPOSITÆ,
&
Sententiis SS. Doctorum, Patrũ, ac aliorum Gravium Authorum
ADORNATÆ.
Maximè Concionatoribus
PERUTILES
Labore
A. R. P. Adalberti Musiałowski, Congregationis Benedictino-Polonæ Monasterii S. Crucis Montis-Calvi Professi.
COLLECTÆ.

SANDOMIRIÆ
Typis S. R. M. Col: Soc: JESU. A. D. 1769.

Fr: Florentius Dukiewicz
ordinis Minorum S. P. F.

ILLUSTRISSIMO,

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO,

CHRISTOPHORO

BOGORIA

SKOTNICKI,

Sacri Ordinis Cisterciensis
Monasterii Coprivnicensis

ABBATI,

S. R. M. SECRETARIO

DOMINO DOMINO,

MECÆNATI

Amplissimo.

ILLUSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME
DOMINE, DOMINE
ABBAS
DIGNISSIME.

Ascetica Calvo-Montana ~~*Ne-*~~ Ere *mus à sæculis jam florida, de novitèr explicat centifoliâ Tuo Nomini adjudicata. Ex hoc alto Monte & ego hîc Indigena prospiciens non alibi, quàm sub auspicatissimo Tuo Patrocinio metam pono, & hanc inviolatam cordis sincerissimi tesseram Tuum defero in Conspectum. Benè confidens, quod suscipies, illâ, quâ assoles Benevolentia exile opusculum,*

lum, utpotè Sanctitate Cælestium Virorum famosum, se veritate exempli salubre, rei magnitudine æternum. Ne levioris styli reus ad aspectum Tuum luere compellar, minimè tamen suspicor posse erubescere genas meas, dum candidæ Tuæ menti porrigo huncce fætum. Hic breviter virtus Tua Aurora rutilans, honorum lucis inocciduæ præsaga sine hyperbole adoranda. Superbit profectò Sacerrimus Cisterciensis Ordo excelsis meritorum Tuorum colossis, quos Polo & sole erexisti gloriosus. Si etiam fluerent Oratorii fontes pro æstuantis pennæ siti, non sufficerent ad depredicandæ probitatis Tuæ abundantiam, imo exsiccarentur. Primam vitæ auroram cnm speculari aggredior, solem mihi non auroram videre videor, nempe: ut ille nescit per intervalla crescere, sed statim in ortu Magnus, & lucidus apparet sic tu in Pueritia non puer, in Adolescentia non adolescens, ante Annos gravis, & constans. Cum lacte Infulæ candidatus, & si necdum crevisti, jam eminu-

isti.

isti. In tenera adhuc radice Mercurius, ab ipsis jam cunis notus, quod ad fastigia natus, cœpisti ubi finis erat. Et ea Puer egisti, quæ pauci meruêre senes. Ætas Tibi cum flore tulit fructum, cum fructu florem, ut in vere matura jam apud Te esset virtus. Egregia enim indoles extra jurisdictionem ætatis est, concitatur ad honesta etiam supra Annos. Post ut magis DEO noscereris mundi lucem fugisti, ne vanitate sæculi seducereris, profanis valedixisti curis, Sacrum Institutum Coprivnicense Divinissimi Patriarchæ Benedicti amplectendo. Purissimo sanctimoniæ candore nitentem Bernardi Nutrix MARIA iterum Te in Filium adoptavit, ut videlicet Christum quondam portanti adjutorium simile Ei fias Christum ferens Christophorus. Ideo forsitan Cisterciensem ingressus es Religionem, qui cum lacte canam suxisti gravitatem. Non amat tenebriones claræ vallis Abbas Illustri à suis facibus trahit Nomina. Mellifluus

Doctor

Doctor avitas Nobilium ceras recipit ut tam ſvavi temperamento conditæ pulchriùs ardeant. Tanta enim Sanctiſſimi Ciſtercienſium Ordînis reverentia, coram quo Præſules etiam mitras ſuas deponere conſveveruut. Quis tunc oris Majeſtate Tua auguſtior? quis morum ſvavitate amabilior? quis ſermonis affabilitate magis decorus? quis converſationis integritate delectabilior? quis vita incorruptior? quis nunc in Abbatiali honore humilior? Nulli labores Te Sacra in Religione fatigabant, nullæ difficultates deterrebant, ſed veluti feraciſſima planta in agrum optimum translata, quò uberiores proferres fructus eò radicabaris firmiùs, ac feliciùs. Non eſt ingenii mei inſomncs noctes diesq; pervigiles, quos vectigales artibus impendiſti comprehendere. Sat verbo ex Caſtaliis Tullianisq; fontibus Philoſophicis Euripis, Mari Aquinatico hos eruditionis conquiſiviſti uniones, quibus avidarum in aliis mentium locupletares egeſtatem. Decuit

certe

certe emeritum in fronte Tua florere Corymbum, qui eum docto irrigabas sudore. Decuit Te circulari redimiri Infulâ qui nunquam centro probitatis excessisti in Coronam aliorum cessurus. Satis notum est omnibus, quomodo in Mogilensi studio stupuit erudita Pallas, quod non ex Jovis capite tantùm, verùm & ex Tuo Cerebro Minerva renasci potuisset, si cunas repetere noluisset. Sed quia nosti benè, quod quisquis fabricam conatur extruere celsitudinis, priùs illi cogitandum est de fundamento humilitatis. Et quid Tu in hac structura Præsul Religiosissime quas operas, quos modulos, quas libellas & amusses, fundamenta & bases adhibuisti, jecisti? non dicam ea, quæ in Ordine gregalium constitutus sanctæ humilitatis edideris specimen, qui in minoribus vilioribusq; officiis mediastinum Te potius præbebas, quam collaboratorem, & ubi aliis nausea Tibi risus, ac rosetum. Hinc ad Abbatialem Eminentiam electionis audivi verissimum

scema

ſcema concilii illius primi Apoſtoli Jeroſolymitani: Omnes enim nomine calculum voti ſui aliorum ponente, in Tui electionem non tam pedibus, quam cordibus iverunt, ac ſi unanimiter dixiſſent: Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis Chriſtophorum Bogoria SKOTNICKI *Prælatum, Abbatem ac Dominum eligere, accipere cujus juſſis ſecurè obtemperare, nutui fideliter obſequi ductum conſtanter ſequi conſtituimus, concluſimus, aſſeveravimus, juravimus. Quid ego hic dicam? niſi illud Evangelicum: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Profundiſſima Vallis erat eximia humilitas Tua, quam aggeſtô Dignitatis Abbatialis cumulô adimpleſti. Amatores ſuos habet virtus, & cum pulcherrima ſit Virgo etiam pro eos animorum eſt Magnes, & vectigales affectus exigit, quoties intuentium corda occupat. Elegit Te in Abbatem Sacerrimus Coprivnicenſis Cætus pulchrô ſanctimoniæ ſupra alios teſtimoniô argumentum enim optimè*

eſt

est reliquis præponi. Aliàs vix convenit cuiquam imperium, qui non sit melior iis, quibus imperat. Ut DEUS perfectiones omnes in se habet, ita pulchrum si Superior Lex & Regula est, ad cujus normam subditi, mores suos exigunt. Abbas factus quid agis? nihil ego habeto plures Tui Ordinis Homeros verior Achilles. Satis si dixero, quia dignum es Pontificio pedo. Qui ab omni ambitu alienus, quo longior à fastu eras, eo fastigiis visus propior. Pro dote Coprivnicensi Asceterio intulisti, cum dote honorem, honorat enim, non honoratur quoties culmina capessit. Sed plura candidus cœtus sub Tuo Regimine militans candidi pectoris dat documenta. Et ubi benè mihi notum est, quod nesciat secreti silentium pro quo virtus perorat, nefas mihi tacere de Christophoro SKOTNICKI, Vexillifero Zakrocimiensi, Parente Tuo. *Satis admirari non potuit ejus facundiam in Comitiis, pietatam in Templis, liberalitatem in pauperum ædibus*

ubiq;

ubiq; magnam ad omnia summa natam suspiciens aptitudinem. Nec minus usq; hodie stupet Sarmatia Illustrissimæ Parentis Tuæ ex Rosnowsciis virtutem in Superos benevolentiam in Ecclesiasticos, munificentiam in pauperum, trivialium demum quoddam côpendium verbo illa majoris prudentiæ ultra Jovem venustatis, ultra minervæ virtutum speciositatem, ultra plures magnæ æstimationis Pulcherias, toti Lechico Orbi contemplandam, & speculandam porrexit Unde Te videmus genuinum non solum Sangvinis Hæredẽ, sed famæ etiam ac virtutum legitimum Possessorem, ita Parentum Tuorum studii, æmulus atq; imitator efficax extitisti. Silere de Thoma Bogoria SKOTNICKI, & Joanne Patruis, Martino SKOTNICKI, Castellano Zavichostensi, *quorum magnitudo meritorum facile me obruere posset. O ter beatam Skotnicciana Domûs sortẽ, dum Sandomiriensi Horizonti hic Bernardeus Paradisus melle scientiarum & lacte condidæ probitatis inundatus, nitidissimus iterum irrigatus lymphis,*

gratissimo irroratus amne à Nicolao Borgia Comite de Skotniki, Palatino Sandomiriensi, *sed ejus munificentiam, & liberalitatem vivâ voce satis deprædicat Monsterium Coprivnicense Tuum. Quidquid in summis Viris admirandum, in optimis Laudabile, in fortissimis gloriosum, totum in uno Nicolao Divinæ sors reposuit, adeò ut omnes dotes complecti, ne dicam superare videretur, dignus sanè immortalibus fastis. Nec minori gaudet solatio Patria de* Constantino Bogoria SKOTNICKI Germano Fratre Tuo Camerario Sandomiriensi, de Josepho; Cajetano, Georgio *Fratribus Patruelibus. Dedit Domus Skotnicciana Patriæ Senatores, Ecclesiæ Pastores, Prælatos, Episcopos. Ex quibus unum præ multis nominare expressius svave, & justum duxi. Fuit hic* Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Thomas Bogoria SKOTNICKI, Episcopus Nicopolitanus, Suffraganeus Culmensis, *iteratis vicibus ob conjunctam pietati justitiam ad Tribunal Regni Deputa-*

tus.

tus. *Magna lumina in Senatu & curia boni publici, & æquitatis ardentes propugnatores de Patria non minus, quàm de Ecclesia bene meriti.* *Plura magna vetustissimæ* Skotnicciorum Bogoria *Familiæ decora jam extincta videntur sed non ex toto, quoniam potissima sui parte supersunt in Te ABBAS Illustrissime.* *Viva eorum Imago es eandem in superos Religionem, pro fide Catholica zelum, liberalitatem, justitiã, Clementiam, amorem boni publici, vultu portendis, moribus circumfers & præclarè gestis probas. Crevit Familia Skotnicciana per alta nepotum subseltia, in utroq; foro spirituali nimirum & sæculari; Tu hæc omnia ampliora reddis augesq; notabiliùs.* *Desudarunt majores Tui pro sua non minus, quam nepotum suorum gloria.* *Tu ejusdem jam inventæ terminos in longum & latum ampliasti: quasi domesticum exemplum ad imitandum haberes.* *Desudarant pro immortalitate sui nominis, quà armis quâ consiliis, quâ ingenii dexteritate adeo ut ex præliis triumphos re-*

porta-

portarent multiplices ex Consiliorum ministerio, boni publici incrementum caperent, ex animi perspicacia omnia consequerentur commoda, quorum non solum es particeps, verum etiam exauges benefacta majorum. Quid multis? nihil de grandi meritorum cumulo Tuorum Antecessorum detrahis, sed plurima accumulas decora. Frustra aliquando marmoribus fama quæritur, quam moribus mereri non libuit. In ignominiã vergit extinctorum cinerum solennitas, qui tenuem boni Nominis ignem fovent. Modicus à Cupresso plausus, dum laurum vita non porrexit. Alia facies Prosapiæ SKOTNICCIANÆ, cujus gloria in mente Polonorum manet semper immortalis, dum ad nostra usq; tempora prosperitate floret admiranda. Enim vero pro majori suæ gloriæ amplitudine æviterno cujusdam necessitudinis nexu grandia in Regno Sarmatiæ nomina sibi adjunxêre. Familiarum pulcherrimo nexu Sangvinis Domus SKOTNICCIANA sibi adauxit decora. ZABOKLICCIOS, WYZICCIOS,

ZA-

ZAŁUSCIOS, SZEMBEKOWIOS, MORSZTINOS, KUCZKOWSCIOS, TARNOWSCIOS, DĄBSCIOS, CZYZOWSCIOS, TYMINSCIOS, ROMEROW, STADNICCIOS, ROSNOWSCIOS, WSTAWSCIOS, MOKRANOWSCIOS, LANCKORONSCIOS, SOŁTIKONES, DĘBIENSCIOS, JABŁONOWSCIOS, SZANIAWSCIOS, JUBIELECCIOS, JORDANOW, MŁODZIANOWSCIOS, GOŁUCHOWSCIOS, MORSCIOS, ROZWADOWSCIOS, BOROWSCIOS, PIASECCIOS, POPIELONES, ZŁOCCIOS, KOCHANOWSCIOS, WORONIECCIOS, *& ſexcentos alios, quorum geſta, merita, honores, virtutes ad calculum revocare ſæculorum labor eſt. Atq; cum tã numeroſæ tamq; præclaræ Familiæ pulchro ſint conjunctæ fædere SKOTNICCIIS, jam non unam Proſapiam, ſed Regnum quoddam conſtituere videntur. Regnum inquam ea Virorum fortitudine armatum, ut expugnari per quosvis adverſus inſultus nequeat, eâ ſa-*

pien-

vientiâ præditum, ut nullo Stratagemate, aut dolô circumveniri possit, eâ deniq; virtute constans, ut Fidei Orthodoxæ propugnaculum esse videatur. In quorum numerum cum Te meritò referamus, bene me sperare jubet Tua excellens Indoles. quod hancce, quam Tibi dedico Divinam quia scripturalem Ascesim magnâ Gratiâ, & Authoritate suscipies. Ipsemet vero ad altissimos honorum gradus eveheris. Capesse Purpuratorum Patrum Regiam, Tuæ virtuti hæreditariam. Præcelso in culmine nostras serena frontes. Incolumis tandem si non æternas, diuturnas saltim sæculorum decurre Myriades felicissime. Ita præcatur

ILLUSTRISSIMÆ ac
REVERENDISSIMÆ
DIGNITATI TUÆ.

devotissimus, humillimus

P. Adalbertus Musiałowski.

CENSURA PHILOSOPHICA.

JUssis Illustrissimi Reverẽdissimi D. Domini Michaelis Francisci STARZYNSKI, S. T. D. Abbatis Claustralis Lubin: Monasterii Cong: Benedictino Polonæ Præsidentis Generalis omni qua par est resignationi obtemperans Opusculum, cujus inscriptio: *Annuales Meditationes*; ex solis S. Scripturæ, & Sanctorũ Patrum textib9 collectum, & in tres Vias ab Ascetis usitatas ab A. R. P. Adalberto Musiałowski dispositum accurate legi; cumq; in eo orthodoxis Fidei dogmatibus nihil adversum, nihilq; morum rectitudini, ac honestati repererim dissonum, quin immo doctrinæ, & utilitati in spiritu proficere cupientium, & maxime Concionatorum proficuũ, ideo in lucem edi posse Typisq; mãdari dignum censeo, si illis ad quos pertinet ita videbitur.

Datum in Monasterio Calvo-Montano S. Crucis, die 22. Martii. 1769.

P. Emericus Gołaszewski Professor Philosophiæ Actualis.

CENSURA THEOLOGICA.

EX Commissione Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Michaëlis Francisci STARZENSKI, Sacræ Theologiæ Doctoris, Abbatis Claustralis Lubinensis, Congregationis Benedictino-Polonæ Præsidis Generalis, Opusculum, cui Titulus: *Annuæ Meditationes*, per A. R. P. Adalbertum Musiałowski, Professum Calvo-Montanum Abbatialem Secretarium, ex Sacris Bibliis, ac gravibus, & probatis Doctoribus collectum, vidimus, legimus. Cumq; nihil contineat Fidei Catholicæ, ac bonis moribus repugnans, imo utilitati, maximè Concionatorum, sit deserviens, ideò dignum prælo ac luce censemus. Datum in Monasterio S. Crucis Ordinis S. Benedicti. Die 15. Mensis Februarii. Annô Domini 1769.

P. Paulinus Praszkiewicz, S. T. D.
Præp: Koniemłot:
mpp.

FACULTAS
PRÆSIDIS GENERALIS.

Michaël Franciſcus STARZENSKI, S. T. D. Divinâ Vocatione Monaſterii Lubinenſis Abbas, & ad S. Leonardum Præpoſitus perpetuus, Congregationis Benedictino-Polonæ Præſidens Generalis.

CUm opus, cui Titulus: *Annuales Meditationes*, per Religioſum & A. R. P. Adalbertum Muſiałowſki, Profeſſum Calvo-Mõtanum ex S. Scripturæ, & Sanctorum Patrum textibus collectum, duo ejusdem Monaſterii Calvo Montani Theologi, quibus illud commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem, quantum ad Nos ſpectat, impertimur, ut Typis mandetur: in quorum fidem &c. præſentes dedimus ſigillo Noſtro munitas, ac propria manu ſubſcriptas. Datum in Noſtra ſolita Reſidentia Abbatiali Lubinenſi, Die 28. Maji. 1769.

M. F. Starzeńſki, A. L.
Congreg: Præſidens.
mpp.

L. S.

APPROBATIO.

Liber, cui Titulus: *Annuæ Meditationes*, ex Sacris Bibliis desumptæ, & in tres vias Purgativam, Illuminativam, & Unitivam; per singulos totius Anni dies dispositæ: cum nihil contrarium fidei, & bonis moribus contineat, ut imprimatur, facultatem dedi Sandomiriæ Die 11. Maji 1769.

Joannes Cantius LIGEZA, S. T. Doctor, Insignis Colleg: Sandomiriensis Archidiaconus, in Troyca Curatus, Librorum Censor.

mpp.

Ad LECTOREM.

NOn dubito pie Lector, quinimo ex animo te judico Cœlo frui optare, illiusq́, Beatissima visione potiri, qui est suorũ lætitia Sanctorũ; ad hunc enim finem creatus, redemptꝰ, & sanctificatus es. Interea non te latere puto, quã angusta porta, & difficilis sit semita, qua ad Cælũ curritur: hanc ergo ut secundo omine transeas, deponendæ tibi sunt sarcinæ peccatorum, quibus forte ita onerasti animã & conscientiam tuam; ut te ad illa in altissimis posita, vera gaudia nullo modo perventurum speras. Itaq́; quousq́; in hac via mortalis vitæ versaris qua ad æternitatem properas sacræ pœnitentiæ lachrimis non cessa peccatorum maculas diluere exemplo Davidis, Petri, Magdalenæ, & aliorum multorum serio Pænitentium. Hæc enim unica, & sola Methodus est, tũ assequendæ, tum per conversationem tuam [juxta assertionem æternæ veritatis) per accidens augendæ sine fine

ne

ne duraturæ Cœlestis lætitiæ. Hoc autem facilius obtinere haud quaquã potes, quàm per continuum spirituale exercitium, nimirum per quotidianas Meditationes in hoc Libello, ad tres vias reductas, scilicet: ad viam Purgativam, Illuminativam, & Unitivam. In via Purgativa conaberis ex corde tuo eradicare omnes pravas consvetudines, peccata, & potissimũ noxas mortales præcipue animam inquinantes, horrendioremq; eam ipso sathana efficientes. In via Illuminativa dabis operam virtutibus. In via deniq; Unitiva, totum te DEO consecrabis, & conjunges. Habes igitur in his Meditationibus te in gratia reponendi, certum iter, quod si aspernatus fueris, non DEUM qui te salutaribus mediis ad se invitat, sed te ipsum inertiæ nequitiæq; tuæ coram illo æquissimo Judice quam in hora extremæ sententiæ has Meditationes ante oculos tuos positurus est ac dicturus: Perditio ex te Israel, qui & Divinas revelationes, & Sanctorum

Patrum

Patrum monita, & Divini Spiritus afflatus temere contempſiſti. Verum tamen ego confido te DEO tibiq; non fore injurium; ut volueris potius Principatum deferre diabolo quam DEO, peccatum præferre virtuti, damnationem ſaluti; Quamobrem omnem ſollicitudinem cogitationemq; tuam in his Meditationibus defigito, quod tibi ad æternam felicitatem perutile credo futurum. Ego vero corde precor, quatenus in hac ſalutis via Sanctus Angelus Cuſtos tuus, fidelem ſe tibi ducem offerat, hortando & excitando te inſpirationidus ſuis ad diligenter agenda penſanda, ruminanda hæc exercitia ſalutaria, tum etiam ad propoſita, quæ eorundem adjutorio emiſſurus es, inſtanter retinenda. Ita fac opitulante tibi Ter Optimi DEI Maximi auxilio, & vives in æternum.

Vale.

Colli-

Colligite fragmenta ne pereant. *Joan: 6. v. 12.*

Non quæras quis hæc dixit: ſed quid dicatur attende. *Gerſon l. 1. C. 5. v. 6. de Imitat: Chriſti.*

Veritas eſt in Scripturis Sanctis quærenda, non eloquentia. *Idem ibid: v. 1.*

Audi tacens Verba Sanctorum. *Idem ibid: v. 11.*

Nec diſpliceant tibi parabolæ ſeniorum. *Id: ib: v. 12.*

VIA

VIA PURGATIVA.

Expurgatio veteris Fermenti.
1. Corinth: 5.

JANUARIUS
DIE I.
MEDITATIO I.
De Peccato.

OBstupeſcite Cœli ſuper hoc. [a) Filios enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me, DEUM. (b) Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. (c) Sed tu homo unanimis, dux meus, & notus meus. (d) Propter hoc lugebit terra. {e] Et fumus tormentorum eorum, deſcendet in ſæcula ſæculorum. (f)

Si DEUS mancipium eſſet hominis; eſſet aliquid, cur peccaret in DEUM. Aſt modo? Eheu! tam terribilem Majeſtatem audet vilis pulviſculus irritare. S. Bernardus.

REFLEXIO.

COnsidera o anima, in quē peccaveris! & facile perpendes gravitatē iniquitatis tuæ. *Offensa enim eò gravior est, quò Persona offensa dignior, & offendens, vilior est.* (g) Attende igitur, quis es tu? nonne vermiculus extremæ vilitatis? *O homo peccator! insurrexisti in talem omnium rerum Creatorem Dominum. O quam dignus es! ut in te totus orbis terrarum insurgat.* (h) Meruisti sanè, ut terra te obruat, aqua suffocet, àér beneficium spirationis neget. *Putas tua peccata virtutes esse? tua stercora balsamum olere? Quis hinc pudor coram tui amantissimo DEO!* (i)

(a) *Jerem: 2. v. 12.* (b) *Isa: 1. v. 2.* (c) *Psal: 54. v. 13.* (d) *Ibid: v. 14.* (e) *Ose: 4. v. 3.* (f) *Apoc: 14. v. 11.* (g) *S. Nilus Abb: Paran: 205.* (h) *S. Ansel: lib: de Concept: Virg: C. 28.* (i) *Orig: Hom: 1. in Psal: 37.*

DIE II.

SI peccaverit vir in virum, placari ei DEUS potest; si autem in DEUM peccaverit, quis orabit pro eo? (a) Scito, & vide, quàm malum, & amarum est, reliquisse te DEUM Dominum tuum. (b) DEUM, qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Domini Creatoris tui. (c) An parum vobis est quia peccastis? (d)

Luges

Luges corpus, à quo recessit anima; Non luges animam, à qua recessit DEUS. S. Aug:

REFLEXIO.

CArnem, quam non potes suscitare, plangis: & animam tuam mortuam non plangis, quam potes per pœnitentiam ad statum pristinum revocare. (e) Si posses Parentem tuum, certò suscitare à mortuis, abstinendo te, à peccatis: Nonne lubens faceres, quantum valeres? Nunc posses certissimè animam tuam eripere à morte peccati perpetuâ, pœnitendo. Cur non facis? Fac, aut potiùs roga DEUM, ut faciat te sentire, quod malè habeas, ne in peccato computrescas. Elige ergo novam vitam; *Sed nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* (f)

(a) *1. Reg: 2. v. 25.* (b) *Jer: 2. v. 19.* (c) *Deut: 32. v. 18.* (d) *Josue: 22. v. 17.* (e) *S. Aug: Serm: 41. de Sanctis.* (f) *Idem Hom: 27. ex 50.*

DIE III.

QUi facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. (a) Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. (b) Anima *igitur* quæ peccaverit, ipsa morietur. (c) Nam stipendia peccati mors. (d) Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? (e)

Homicida sui est, qui admisit peccatum. Quibus insidiis? erroris sui. Quô telô? offensâ DEI. Tertull.

R E F L E X I O.

SAgitta mortis est peccatum, per quod anima jugulatur, & moritur. [f) Dulce est peccatum, sed amara mors. (g] Quid est enim mori, nisi à vita exire? DEUS vita est ipsissima, à qua recedit anima peccans. Tanto pejor est mors, quanto melior vita, quæ perditur. (h) Quid melius vita Divina? Infelix anima, quæ hanc vitam perdit; infelicissima, quæ talem vitam perditam ducit nihili.

(a) *1. Joan: 3. v. 8.* (b) *Jacob: 1. v. 15.* (c) *Ezech: 18. v. 20.* (d) *Rom: 6. v. 23.* (e) *Ibid: v. 2.* (f) *S. Ambr: super 1. Cor: 15.* (g) *S. Aug: apud Hug: in Gen; C. 15.* (h) *Eccl: 18. v. 20.*

D I E IV.

VÆ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. (a) In maledictione pars vestra erit. (b) Recordabitur Dominus iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum. (c) Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum. (d) Heu! heu! Domine mi; quid faciemus? (e) Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? aut quis habitabit cum ardoribus sempiternis? (f)

Peccare

Peccare quam amara res! O mala peccata! quam facilis aditus, quam difficiles exitus habetis! S. Aug:

REFLEXIO.

DEscensus erit, reditus non erit. Peccasti? saltem post peccatum metue, nè iterùm pecces. Duplex est enim timor. *Servilis:* quô times cum diabolo ardere. *Filialis:* quô times DEO displicere. (g) Nā qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennam odit. (h] O ne dubita! certissimè ad infernum facilis tibi aditus erit, si non odis peccatum; modo delectat peccare, sed postea nō delectabit ardere. (i)

(a) *Eccl: 41. v. 11.* (b) *Ibid: v. 12.* (c) *Jer: 14. v. 10.* (d) *Psal: 10. v. 7.* (e) *4. Reg: 6. v. 15.* (f) *Isa: 33. v. 14.* (g) *S. Aug: serm: 8. de verb: Apost:* (h) *Idem Epist: 144.* (i) *S. Euseb: Hom: 3. Epist:*

DIE V.

QUi faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. (a) Nam iniquitates suæ capiunt impium, & funibûs paccatorum suorū constringitur. (b) Cruciabitur igne, & sulphure, in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectū Agni. (c) Convertantur peccatores in infer-

fernum. (d) Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. (e)

Non times peccatum; time quò perducit peccatum. S. Aug:

REFLEXIO.

COnsidera o anima in quem peccaveris! peccasti in eum, qui in se consideratus est summe sapiens, quem nullum peccatum latere potest, qui est summe bonus, cui nulla iniquitas placere potest. Meruisti, ut te ignis consumat, & Angeli dæmonibus te tradant, & in infernum detrudant. *Ex te ipsa o anima infernus est, ubi sunt tenebræ obscurissimæ, quia ibi non lucet Sol justitiæ Christus, ibi tot dæmones quot vitia, ibi algor infidelitatis, ibi ardor iniquitatis.* (f) Qui legem Principis violat, mulctatur morte; cum & ipse, qui plectit sit mortalis. Putas non damnandum morte, qui infringit voluntaté DEI immortalis? certe luet morte immortali. Time ergo, quò perducit peccatũ.

(a) *Job 12. v. 10.* (b) *Prov: 5. v. 22.* (c) *Apoc: 14. v. 10.* (d) *Psal: 9. v. 18.* (e) *Rom: 6. v. 12.* (f) *Hugo Card: super Prov: Cap: 15.*

DIE VI.

QUam vilis factus es nimis (*anima*) iterans vias tuas. (a) Nomen habes quod vivas, & mortuus es. (b) Nonne egressus est à filia Sion omnis decor ejus. (c) Quomodo

modo obſcuratum eſt aurum: mutatus eſt color optimus. (d) Nunquid iniquitates veſtræ non diviſerunt inter vos, & DEUM veſtrum? (e)

Separari à DEO, hæc eſt tanta pœna, quantus eſt ipſe DEUS. S. Aug.

REFLEXIO.

SI DEUS veniens, voce propriâ loqueretur nobis, & diceret homini: Peccare vis pecca; fac, quid te delectat; quidquid amaveris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat: quem rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem poſſidere, poſſideas: Nemo tibi reſiſtat; nemo tibi dicat: quid facis? Abundent tibi omnia iſta terrena, quæ concupîſti, & vive in illis non usq; ad tempus, ſed ſemper. Faciem tantum meam nunquā videbis! (f) Quid tu eligeres? Quære tu ipſe te ipſum in corde tuo, & reſponde tu ipſe tibi ipſi in corde tuo; ſed corā DEO tuo, qui novit abſcondita cordis tui.

(a) *Jer:* 2. *v.* 36. (b) *Apoc:* 3. *v.* 1. (c) *Thren:* 1. *v.* 6. (d) *Ibid:* 4. *v.* 1. (e) *Iſa:* 59. *v.* 2. (f) *S. Aug: in Pſal:* 127.

DIE VII.

O! Vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus? (a) In dorſo meo fabricaverunt

pec-

peccatores. (b] Faciem meam conſpuere non verentur. (c) Foderunt manus meas, & peds meos. (d) A planta pedis, usq; ad verticem non eſt in eo ſanitas. (e) Væ nobis, quia peccavimus! (f)

Agnoſce homo, quàm gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari. S. Bernard:

REFLEXIO.

Ah fuge peccatum! Quoties enim quis peccat, toties in ſe ipſo interficit Chriſtũ. (g) Id quod præclare *S. Bernardus* oſtendit, dicens: Ex conſideratione remedii periculi mei, æſtimo quantitatem. Neſciebã, & ecce mittitur Virginis Filius Altiſſimi DEI, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo Sangvinis illius balſamo medeatur. Agnoſce ergò, quàm gravia ſunt vulnera! Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquàm pro eorum remedio DEI Filius moreretur. (h) Sed heu! Apparebit Dominus DEUS, cum vulneribus ſuis, & clamabit dicens: Videtis quanta à vobis, in vobis, & pro vobis paſſus ſum, & tamen ingrati, omnia contempſiſtis, & pro nihilo duxiſtis: Ite in ignem æternũ. (i)

(a) *Thren: 1. v. 12.* (b) *Pſal: 128. v. 3.* (c) *Job: 30. v. 10.* (d) *Pſal: 21. v. 17.* (e] *Iſa: 1. v. 6.* (f) *Thren: 5. v. 16.* (g) *Hug: Card: ſuper Gen: C. 20.* (h) *S. Bernard: ſerm: 1. in Nat: Dom.* (i) *S. Bonav: p. 1. ſtim: C. 1.*

DIE VIII.

IDeo quia non profertur citò contra malos sententia; absq; timore ullo filii hominum perpetrant mala. (a) Sed pavor his, qui operantur malum! (b) Orientur enim in domibus ejus spinæ, & urticæ, & paliurus, in munitionibus ejus: Et erit cubile draconum, & pascua struthionum. (c) Et occurrent dæmonia. (d) Et pro mensura peccati, erit plagarũ modus. (e) Quarè omnibûs diebûs vitæ tuæ in mente habeto DEUM; Et cave ne aliquandò peccato consentias. (f)

Descende in infernum vivens, ne mortuus descendere cogaris. S. Chrisost.

AFFECTUS.

PAter peccavi in Cælum, & coram Te, jã non sum dignus vocari filius Tuus. (g) Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrimarum? (h)

(a) *Eccl:* 8. *v.* 11. (b) *Prov:* 10. *v.* 29. (c) *Isa:* 34. *v.* 13. (d) *Ibid: v.* 14. (e) *Deut:* 25. *v.* 2. (f) *Tob:* 4. *v.* 6. [g] *Luc:* 15. *v.* 21. [h] *Jer:* 9. *v.* 1.

DIE IX.
MEDITATIO II.
De Procrastinatione Pænitentiæ.

QUi habet aures audiendi, audiat. (a) Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nũc

dies

dies salutis. (b) Non tardes ergò converti ad Dominum, & ne differas de die in diē. (c) Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. (d) Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. (e)

DEUS pænitentiæ tuæ indulgentiam promisit, sed huic dilationi tuæ, diem crastinum non promisit. S. Aug.

REFLEXIO.

CRas inquis, cras pænitebo. Fortè DEUS dabit gratiam? O lugubre cras! o Forte infortunatum! Ipsa res est, quæ multos occidit cùm dicunt: cras, cras; & subitò ostium clauditur. (f) experti sumus multos expirâsse, expectantes reconciliari. (g) Multi hac præsumptione vadunt retrorsum per Apostasiam; (*à fide, vel religione*) cadunt in criminalia, illaqueantur mortiferâ delectatione, vel quâdam inextircabili peccandi necessitate, ut nec velint, nec possint pænitere; capiuntur improvisâ morte, conteruntur æterna damnatione. (h)

(a) *Luc: 14. v. 32.* (b) *2. Cor: 6. v. 2.* (c) *Eccl: 5. v. 8.* [d] *Ibid: v. 9.* (e) *Luc: 13. v. 3.* (f) *S. Aug: ser: 16. de Verb: Dom: Cap: 11.* (g) *Idem Hom: 41. ex 50.* (h) *S. Gverricus Ab: ser: 1. de Adv.*

DIE

DIE X.

HOdie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. (a) Jam enim securis ad radicem arborum posita est. (b) Ne dixeris: peccavi, & quid accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. (c) Nolite ergo errare; DEUS non irridetur: Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. (d)

Quantò diutiùs expectat DEUS, ut emendes; tantò graviùs vindicabit, si neglexeris. S. Aug.

REFLEXIO.

HOdie non potes pænitere, & cras putas faciliùs? cras inquis: Ecce! quoties dicis cras, cras; factus es corvus. Sed dico tibi: Dum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina. Nam ille corvus (*sub diluvii tempꝰ*) cujus vocem imiteris exiit de Arca, & non rediit. (e) Quare, & tu Religiose: si hodie ejus *DEI* audieris vocem, noli obdurare cor tuum; Qui enim hodie te vocat, forte cras non vocabit. Et si tu hodie vocantem non sequaris, forte cras cum tu illum vocaveris, & invitaveris, te non audiet, nec ad te veniet. (f)

(a) *Psal*: 94. *v*. 8. (b) *Math*: 3. *v*. 10. (c) *Eccl*: 5. *v*. 4. (d) *Gal*: 6. *v*. 7. (e) *S. Aug*: *ser*: 164. *Temp*. (f) *S. Prosper apud S. Aug*: *Tom*: 3.

DIE XI.

VEnit nox, quando nemo potest operari. (a) Quæretis me DEUM, & non invenietis. (b) Et in peccato vestro moriemini. (c) Quid hic statis tota die otiosi? (d) Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ *mortis* comprehendant. (e) Memor esto, quoniam mors non tardet. (f)

Confundentur serò, qui prima pænitentia, & salubri confundi noluerunt. S. Aug.

REFLEXIO.

SI malè vixisti, benè vive jam hodie. Sed fortè hâc nocte auferetur à te anima tua. (g) Non dico, quæ præparasti, cujus erunt? Sed secundum quod vixisti, ubi eris? Dicis: ego à quinquagesimo anno quiescam. Sexagesimus me perutentem excipiet, modo fruamur bonîs, quæ sunt, & utamur creaturâ tanquàm in juventute celeriter; non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequàm marcescant. (h) Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis ista, sicuti disponis ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi (*ac maxime DEO*) reservare, & id solum temporis bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serùm est, tùnc vivere incipere, cum desinendum est? Quæ tàm stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum, & sexagesimum annum, differre sana consi-

consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? (i)

(a) *Joan: 9. v. 4.* (b) *Ibid: 7. v. 34.* (c) *Ibid: 8. v. 24.* (d) *Math: 20. v. 6.* (e) *Joann: 12. v. 35.* (f) *Eccl: 14. v. 12.* (g) *Luc: 12.* (h) *Sapient: 2.* (i) *Seneca de brevit. vit. 4.*

DIE XII.

FIlii hominum usquequò gravî corde? (a) Vocavi, & non renuistis. (b] Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. (c) Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. (d) Secundum autem duritiam tuam, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram; in die iræ, & revelationis justi Judicii DEI. (e)

Potuit esse homo felix, & noluit; modo vult, & nequit: absorptus peccatô. S. Bernard.

REFLEXIO.

QUamdiù non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum DEO. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? punit ille furem; tu furtum laudas, vel amas & facis; punit ille ebriosum; tu laudas ebrietatem. Litigas cũ DEO. (f) Anceps alea lite provocare supremum Tribunal; contra semetipsum; sine Patrono; sine ullius favore legis; Et unde non liceat appellare. Vis te de dubio liberare?

rare? Vis quod incertum eſt evadere? Age pænitentiam dum ſanus es, quia in fine vitæ non erit tempus pænitere. (g)

(a) *Pſal: 4. v. 3.* (b) *Prov: 1. v. 24.* (c) *Ibid: v. 25.* (d) *Ibid: v. 26.* (e) *Rom: 2. v. 5.* (f) *S. Aug: in Pſal: 75.* (g) *Idem Hom: 41. ex 50.*)

DIE XIII.

NEſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamô, & aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tẽpore malo. (a) Vigilate itaq; omni tempore. (b) Quia neſcitis diem, neq; horã. (c) Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. (d)

Fac pœnitentiam dum certus es; certus es hoc momento, altero non: ergo hoc momento fac. S. Iſidorus.

REFLEXIO.

BLaſphemas in corde tuo, dicens: Quare hodie convertor, & non cras? Eat hodiernus dies, ſicut heſternus; ſit in nequiſſima voluptate, ſit in flagitiorum gurgité, volutetur in mortifera delectatione. Cras cõvertor, & finis eſt. (e) Habeto, & veniat tibi tuum cras. Num cras pœnitentiam ſecurè ages? Timui ſemper & timeo, ne dilato remedio, dolorem non ſuſtinens, periculo te irrevocabiliter deſperatus immergas. (f) Corrigant ſe, qui tales ſunt dũ vivũt; ne po-

ſteâ velint, & non poſſint; quia ſubito venit mors, & non eſt qui corrigatur, ſed qui in ignem mittatur. (g)

(a) *Eccl: 9. v. 12.* (b) *Luc: 21. v. 36.* (c) *Math: 25. v. 13.* (d) *Rom: 13. v. 12.* (e) *S. Aug: ſerm: 59. de Verb: Dom: c. 9.* (f) *S. Bern: 1. Conſid: 2.* (g) *S. Aug: ſerm: 164. Temp: c. 4.*

DIE XIV.

SI ſciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utiq; & non ſineret perfodi domum ſuam. (a) Et vos parati eſtote: quia quâ horâ non putatis, Filius Hominis veniet. (b) Diſpone igitur domui tuæ, quia morieris! (c) Tempus enim breve eſt. (d) Sicut fumus dies. (e)

Si vis pænitentiam agere, quando peccare non potes; peccata te dimiſerunt, non tu illa. S. Aug.

REFLEXIO.

PÆnitentia ſera rarò ſeria. Vide ergo ne ex anno in annum, ex menſe in menſem, ex die in diem, pænitentiam producendo incurras aliquando in diem, quam non expectabas: nimirùm quandò te deficiet vita, & conſilii inopia omni ex parte circumdabit, tribulatioq; nullam conſolationem admittens exiſtet, cum medici & domeſtici, de ſalute tua jam deſperabunt. Quis tum te pænitentiæ, ex perturbatione mente captum, ac ſtupidum commonefaciet? Mors

impendet, & qui abducunt (*maligni spiritus*) urgent. Quis te eximet, ac ex tantis malis eripiet? DEUSne? Ille, quem contempsisti? (f) Scito ergo: Pænitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia, quæ à moriente tantũ petitur, timeo ne & ipsa moriatur. (g)

(a) *Luc: 12. v. 39.* (b) *Ibid: v. 40.* (c) *Isa: 38. v. 1.* (d) *Cor: 7. v. 29.* (e) *Psal: 101. v. 4.* (f) *S. Basil: 4. orat: de pænit.* (g) *S. Aug: ser: 57. Temp.*

DIE XV.

QUod facis, fac citiùs. (a) Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. (b) Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: nõ mihi placent. (c)

Satis est à fide alienus, qui ad agendam pænitẽtiam, tempus senectutis expèctat. S. Aug.

REFLEXIO.

O! si oculorum obtutum, ad immanes Erebi hiatus, defigere liceret, quod non millionum millia Christianorum conspiceremus, in intolerabilibus flammarum globulis volutari! ideò vel maximè: quia corvinum canticum cras, cras, semper repetierunt! (d) Hinc non sine fundamento *S. Hieronymus* pronuntiavit: *quod vix ex centum millibus hominum unus, quorum mala fuit vita, in morte di-*

vinam indulgentiam obtinebit. (e) Quid turpius, quam DEO summo Benefactori ultimã vitæ partem velut fæcem consecrare, diabolo verò summo, & infensissimo hosti, optimã & potissimam partem donare (f) Capis hoc? Ergo vide ne capiaris.

(a) *Joan: 13. v. 27.* (b) *Deut: 23. v. 21.* (c) *Eccl: 12. v. 1.* (d) *P. Abrah: à S. Clara serm: 4 de Pænit: part: 2. n. 9.* (e) *S. Hieron: de Pænit.* (f) *S. Aug: apud Hadria. Pontij. serm. 58. de Temp.*

DIE XVI.

QUàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! & pauci sunt, qui inveniunt eam. (a) *Heu!* si justus vix salvabitur; impius, & peccator, ubi patebũt? (b) Non demoreris ergo in errore impiorum. (c) Quoniam peccator centum annorum maledictus erit. (d)

O homo! qui differs de die in diem, forte habiturus hodie ultimam diem. S. Aug.

AFFECTUS.

COgnovimus Domine impietates nostras, quia peccavimus tibi. (a) Cor mundũ crea in me DEUS: & Spiritum tuum innova in visceribus meis. (f)

(a) *Math: 7. v. 14.* (b) *1. Petr. 4. v. 18.* (c) *Eccl: 17. v. 26.* (d) *Isa 65. v. 20.* (e) *Jerem: 14. v. 20.* (f) *Psal: 50 v. 12.*

DIE XVII.
MEDITATIO III.
De Superbia.

QUid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis? (a) Nũquid bona & mala, vita & mors, paupertas, & honestas, à DEO non sunt? (b) Nonne pulvis sumus? Homo sicut fænum dies ejus tanquam flos agri, sic efflorebit. (c) Hodie est, & cras in clibanum mittitur. (d) Rex hodie, & cras morietur. (e)

O esca vermium! o massa pulveris! o ros! o vanitas! cur sic extolleris? Jacopon.

REFLEXIO.

AUt putas te à DEO non habere, quod habes? si ita putas, prorsus omnî despectu dignus es. Considera: quis sis? & videbis, quàm parùm habeas, unde superbias. In conceptione tua invenies culpam; in nativitate miseriam, in vita pænam, & in fine anxietatem. (f) Unde rectè nonnemo Poetarum dixit:

Unde superbis cujus conceptio culpa
Nasci pæna labor vita necesse mori,
Post hominem vermis, post vermem fætor & horror
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Rumina ergo hæc benè, ut infinita superbiæ damna, evadere valeas. Si vis te tradere DEO, & illius gratiæ fieri particeps,

fuge

fuge cordis ſuperbiam, quoniàm aquæ divinæ gratiæ relictis montibûs currunt per valles. (g)

(a) *1. Cor: 4. v. 7.* (b) *Eccl: 11. v. 14.* (c) *Pſal: 102. v. 14.* (d) *Math: 6. v. 30.* (e) *Eccl: 10. v. 12.* (f) *S. Aug: ſer: 3. de verb: Apoſt.* (g) *P. Abrah: à S. Clara de ſuperb: p. 1. n. 6.*

DIE XVIII.

NOn glorietur ſapiens in ſapientia: & nòn glorietur fortis, in fortitudine ſua: & non glorietur dives in divitiis. (a) Sed in hoc glorietur ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus. (b) Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. (c) Quoniàm neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui incrementum dat, DEUS. (d)

Qui de vanitate gloriatur, hæc non eſt gloria, ſed vera miſeria. S. Aug:

REFLEXIO.

CAve ergo tibi, à vana gloria; ad quam declinandam etiam ipſe Salvator monet: *Attendite*, inquit: *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* (e) Quod ſi aliquando jejunes &c. habeasq; unanimem ſodalem ſervientẽ Domino, eôdem modô, quô tu; huic ſoli arcana tuæ devotionis reteges; ibi non oborietur inanis gloria. (f) Non placeas tibi, de

habilitate, vel ingenio tuo, neq; de fortitudine, aut sapientia, ne per hoc displiceas DEO, cujus est totum, quidquid naturaliter habueris. (g)

(a) *Jer: 9. v. 23.* (b) *Ibid: v. 24.* (c) *2. Cor: 10. v. 17.* (d) *1. Cor: 3. v. 7.* (e) *Math: 6.* (f) *S. Athanas lib: de Virginit:* (g) *Gerson lib: 1. Cap: 7.*

DIE XIX.

SUperbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. (a) Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis. (b) Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vosmetipsis prudentes. (c) Nõne qui se exaltat humiliabitur? (d)

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. S. Leo.

REFLEXIO.

AUdi, quid de se *S. Augustinus fatetur: Nihil ita à peeritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum, & erectam cervicẽ DEI contra se odia provocantem. Novi enim Magistrũ, & Dominum meum Christum in carnis humilitate dixisse: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* (e) Et tu homo superbis? hodie es, & cras fortè non eris, hodiè vivis, & cras morieris. O dementia! (f) Scito ergo, nihil tàm alienum à Divino amore hominem reddit, nihil tam facilè in gehennam intrudit, quàm superbiæ insania. (g)

(a) *Tob: 4. v. 14.* (b) *Eccl: 10. v. 15.* (c) *Isa: 5. v. 21.* (d) *Luc: 14. v. 11.* (e) *S. Hier: in Epist.* (f) *S. Bonav: serm. 4. de uno Confess.* (g) *S. Chrysost: Hom: super Joann.*

DIE XX.

QUomodò cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram. (a) Qui dicebas in corde tuo: in Cælum conscendam supra astra DEI exaltabo solium meum. (b) Similis ero Altissimo. Nonne DEUS superbis resistit? Nunquid domum superborum non demolietur Dominus? (d) Nunquid non abominabilis est DEO omnis arrogans? (e)

Si superbientibus Angelis DEUS non pepercit, quanto magis tibi putredo & vermis? S. Bernard.

REFLEXIO.

SI Angelis superbientibus, non pepercit DEUS, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari, quid perpessurus est ipse, si adversus Conditorem, cordis sui cervicem levaverit. (f) O quotquot ambitio, ex alto honorum, & Prælaturarum apiæ, ad ima inferni, cum Lucifero detrusit! Quicunq; desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in Cælo, & inter servos Christi nō computabitur, qui de primatu tractaverit. (g) Rationem hujus assignat *Didacus Stella:*

Diffi-

Difficile est stare in alta dignitate, & carere cogitationibûs elatioribûs; (h) Ergo cum DEUS, magna de se sentientibus risistat, & ambitiosi tales demonstrentur, bene inferre licet: quod hi à DEO in miseriarum abyssū præcipites agentur. *Secundum illud Lucæ:* Et tu Capharnaum usq; ad Cœlum exaltata es, sed usq; ad infernum demergeris. (i)

(a) *Isa: 14. v. 12.* (b) *Ibid; v. 13.* (c) *1. Petr: 5. v. 5.* (d) *Prov: 15. v. 25.* (e) *Ibid: 16. v. 5.* (f) *S. Laur: Just. de Compunc.* (g) *S. Chrysost: p. 1. c. 25.* (h) *Didacus stella Part: 2. c. 57.* (i) *Luc: 10. v. 15.*

DIE XXI.

IN vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extolleris. (a) *Sed* quanto magnus es, humilia te in omnibus. (b) Nisi enim conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorū. (c) Quàm angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam. (d) Ergo qui se humilitat, exaltabitur. (e)

Erubescat homo esse superbus, quandoquidem factus est humilis DEUS. S. Aug.

REFLEXIO.

NOn glorieris in vestitu, sed projice ornamenta vanitatis, quæ sunt superbia, si Cœlestia optas. Vestito te sericô probitatis, byssinô Sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. (f) Nam vanus est error hominis, & inanis cul-

cultus dignitatis, fulgere purpurâ, & superbâ mente sordescere. (g) Quia nimirum honores, in quos tendit ambitio, hominem etiam illuminatum excæcant, & virtutibus, & sanctitate evacuant. (h) Tu ergo si recte sapis, si tecum lumen oculorum est, desine sequi, quod consequi miserum est. Scito, quia animus superbus, & ambitiosus, à DEO deseritur. (i)

(a) *Eccl: 11. v. 14.* (b) *Ibid: 3. v. 26.* (c) *Math: 18. v. 3.* (d) *Ibid: 7. v. 14.* (e) *Ibid: 23. v. 12.* (f) *Tertull: lib: de cultu famin.* (g) *Minutius.* (h) *S. Bernard: serm: 6. in Psal: 90.* (i) *S. Nilus Abb: orat: 8. de superbia.*

DIE XXII.

NOn gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris. (a) Melius est enim ut dicatur tibi: ascende huc? quā ut humilieris coram Principe. (b) Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. (c) Anima verò, quæ per superbiam aliquid cōmiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, peribit de populo suo, (d)

Melior est peccator humilis, quàm justus superbus. S. Aug.

REFLEXIO.

NUllum malum par elationi; hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum perjurum, cupidum cædium, & homicidi-

cidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mæret, nihil est, quod ejus posset explere libidinem. (e) Unde Paling:

Quid sapis alta cinis, vel cur extolleris umbra?
Te nisi contemnas proteret ira DEI.

Scito enim, cum hominem DEUS tumere conspicit, se sibi illum dereliquit, ostendendo, ut ejus mens derelicta, quid sit inveniat, quæ male in se secura gaudebat. (f) Merito animus à DEO deseritur. (g)

(a) *Prov 25. v. 6.* (b) *Ibid: v. 7.* (c) *Ibid: 17. v. 16.* (d *Num: 15. v. 30.* (e) *S. Chrysost: Hom: 3 ad Popul: Ant.* (f) *S. Gregor: l. 1. Moral: c. 13.* (g) *S. Nilus Abb: orat: 8. de superbia.*

DIE XXIII.

SApientes abscondunt scientiam. (a) Quare noli altum sapere. (b) Sed probate spiritus, utrum ex DEO sint. (c) Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat, ille probatus est. (d) Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit ipse se seducit. (e)

Melior est humilis Rusticus, qui DEO servit, quam superbus Philosophus. Gerson.

REFLEXIO.

SUnt plurimi, qui ob singulares aliquas dotes, aut honores, reliquos despiciant, ac de superatis vitiis triumphum, plùs æquò

sibi

ſibi arrogent, hi enim à milvo infernali capiuntur, & in varia peccata pelliciuntur. Nonne talis erat *S. Petrus?* qui cæteros deſpiciens dixit ad Chriſtum: *Si omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* (f) Et ecce paulo poſt à diabolo illaqueatus eſt, dum trina voce ſuum negavit Magiſtrum. Imitare tu illum, qui humili corde DEO ſervit, quam ſuperbum Philoſophum, qui ſê neglectô, curſum Cœli conſiderat. (g)

(a) *Prov: 10. v. 14.* (b) *Rom: 11. v. 20.* (c) *1. Joan: 4. v. 1.* (d) *2. Cor: 10. v. 18.* (e) *Gal: 6. v. 3.* (f) *Math: 26. v. 33.* (g) *Gerſon.*

DIE XXIV.

HUmiliamini ſub Potenti manu DEI. (a) Sblevavit te cor tuum contentus eſto gloriâ & ſede in domo tua. (b) Noli quærere fieri Judex, niſi valeas irrumpere iniquitates. (c) Non quæras à Rege cathedram honoris. (d) Et non adjicies exaltari amplius. (e) Quia quod hominibus altum eſt, abominatio erit apud DEUM. (f)

Honor quærere te debet, non ipsũ tu. S. Aug.

AFFECTUS.

NOn nobis Domine non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam. (g) Quoniam ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. (h)

(a) *1. Petr: 5. v. 6.* (b) *4. Reg: 14. v. 10.*

(c)

(c) *Eccl: 7. v. 6.* (d) *Ibid: v. 4.* (e) *Soph: 3. v. 11.* (f) *Luc: 16. v. 15.* (g) *Psal: 113. v. 1.* (h) *Psal: 38. v. 6.*

DIE XXV.

MEDITATIO IV.

De Gula.

SEnsus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt áb adolescentia sua. (a) Qui autem delicate à pueritia sua nutrit servum suum (*corpus*) postea sentiet eum contumacem. (b) Noli cibo tuo illum (*animam*) perdere, pro quo Christus mortuus est. (c)

Pudeat sub spinoso capite, membrum fieri delicatum. S. Bernard.

REFLEXIO.

QUam detestabile est vitium gulæ, & ebrietatis, facile colligitur ex pœnis, quibûs DEUS propter hoc homines punivit. Protoparentes nostri propter gulam, se, & nos omnes, in infinitas miserias præcipitarunt. (d) In diebus Noe, edebant, & bibebant usq; in diem, quâ intravit Noe in Arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes. (e) Quid te ipsum saginas, & carnibus gravas? an ignoras, quod quantò pingvius tuum tibi corpus, tanto graviorem animæ tuæ carcerem constituis? (f) Ecce Christus præ fame tabescit, tu autem præ gula te ipsum disrumpis. (g)

[a] *Gen: 8. v. 21.* [b] *Prov: 29. v. 21.* [c] *Rom: 14. v. 15.* [d] *Gen: 3.* [e] *Num: 11.* [f] *S. Basil: super Psal: 29.* [g] *S. Chrysost: Hom: 27. super Act: Apost.*

DIE XXVI.

ATtendite vobis, ne forte graventur corda vestra, in crapula, & ebrietate: ne superveniat in vos, repentina dies illa. [a] Noli propter escam, destruere opus DEI. [b] Quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti. [c] Comede ergo, quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud. [d]

Ventrem accepisti ut nutrias, non ut distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas. S. Chrysost.

REFLEXIO.

COnsidera quid ait *S. Basilius*: *Multos ego animadverti sæpè, qui cum alterius cujusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea; Qui autem gulæ, & ebrietatis morbo tentarentur, & ventris ingluvie duci se sinerent neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerunt.* [e] Tu vero si vis sanus esse, ventrem imperio tene, ne tibi imperet. [f]

[a] *Luc: 21. v. 34.* [b] *Rom: 14. v. 20.* [c] *1. Cor: 6. v. 19.* [d] *Prov: 25. v. 16.* [e] *S. Basil: de Abdic. rerum.* [f] *S. Nilus Abb. orat. 1. de gula.*

DIE

DIE XXVII.

NOli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. (a) Quia in multis escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usq; ad choleram. (b) Panis ejus in utero illius vertetur in fel. (c) Qui autem abstinens est, adjiciet vitam. (d)

Mel est, quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera. S. Laur: Just.

REFLEXIO.

SIcut sumitur medicina, non ad delectationem, sed propter necessitatem, scilicet: ad præservandum corpus à morte, & cum timore sumitur, ne lædat; ita cibus debet sumi ad sustentandum corpus; ne deficiat, & cum timore, ne offendat ex nimia comcomplacentia. (e) Sic comedas, ut semper esurias, ut statim post cibum, possis legere, & psallere. (f) Nam qui nimium cibîs utuntur, quantò magìs ventrem pascunt, tantò amplius sensum mentis obtundunt. (g)

(a) *Eccl: 37. v. 32.* (b) *Ibid: v. 33.* (c) *Job: 20. v. 14.* (d) *Eccl: 37. v. 34.* (e) *S. Anton: p. 2. tit: 6. de Aula C. 1. § 2.* (f) *S. Hier: tit 1. Ep: 7. ad Latam.* (g) *Idem Epist: 9.*

DIE XXVIII.

VÆ! qui consurgitis mane (ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad vesperam,

ram, ut vino æſtuetis. (a) Væ! qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis. (b) Nonne ebrietas eſt animoſitas imprudentis offenſio minorans virtutem, & faciens vulnera? (c) Nonne finis interitus, quorum DEUS venter eſt. (d)

Eſto moleſtus modo aliquantulum corpori, ne illud olim ſit, ſine fine moleſtiſſimum tibi.

REFLEXIO.

EBrietas proprium habet hoc, quod ebriū conſtituat in periculo certo, & inevitabili æternæ damnationis. Alii enim peccatores, ſi ingruat mors, pœnitent, cum ſint rationis compotes, & Sacramentis expiantur; ſolus ebrius nec pœnitentiæ, nec Sacramentorum eſt capax, ut ſi lædatur vel catharo ſuffocetur, certo certius damnetur. (e) Diligenter attendite, & videte, quia quando animalia ducuntur ad aquam, ubi ſaturaverint ſitim ſuam, etiamſi ſupra aquam ipsā diutius teneantur, repleta ſiti, bibere nolunt omnino, nec poſſunt. Quod non dignatur pecus, homo libenter facit. (f)

(a) *Iſa:* 5. *v.* 11. (b) *Ibid:* *v.* 18. (c) *Eccl:* 31. *v.* 40. (d) *Philip:* 3. *v.* 19. (e) *Cornel: à Lap. in* 19. *Gen.* (f) *S. Aug: ſerm:* 231. *Temp.*

DIE XXIX.

SAcerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate abſorpti ſunt à vino. (a) Et ecce! vi-

vinum damnatorum bibebant in Domo DEI sui. (b) Væ! qui potentes estis ad bibendum vinum. (c) Multos enim exterminavit vinum. (d) Nolite ergo inebriare vinô, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto. (e)

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium. S. Chrysolog.

REFLEXIO.

VOs graves, & prudentes Viri, discite detestabilium hominum epulas evitare. (f) Cogita frequenter & tuô Religiose! cùm manducandum, bibendumve est: cogita inquam, vel cibos inferni, vel jejunium, ac præsertim sitim Domini JESU Christi in Cruce: cogita etiàm quomodò huic siti, occurrerint Judæi; felle nimirum, & aceto: O! talis cogitatio, & vulnerum, mortisq; Christi memoria, docebit te, rectè de cibis sapere. (g) Non intuearis vinum, quando flavescit; cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande; sed in novissimo mordebit ut coluber. (h)

(a) *Isa: 28. v. 7.* (b) *Amos 2. v. 8.* (c) *Isa: 5. v. 22.* (d) *Eccl: 31. v. 30.* (e) *Ephes 5. v. 18.* (f) *S. Ambr: lib: de Virg.* (g) *S. Basil: de jejun.* (h) *Prov: 23. v. 31.*

DIE XXX.

NOli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum. (a) Quia ibi

nul-

nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. (b) Quoniam vinum, & ebrietas auferunt cor. (c) Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunq; his delectatur nō erit sapiens. (d) Quare attende tibi. (e)

Quid ebrii aliud, quàm gentium Idola? oculos habent, & non vident. S. Basil.

REFLEXIO.

FUgiamus prandia luxuriosa, quæ nos occupant, usq; ad vesperam; contemnamꝰ cænas, quæ nos aliquoties etiam invitos, usq; ad noctem mediam trahunt, in quibus & caro per ebrietatem debilitatur, & anima per turpiloquia, & scurrilitates vulneratur, fortè etiàm & moritur. (f) Hinc recte S. Paulus monet: *Nolite errare; neq; ebriosi, neq; maledici regnum DEI possidebunt.* (g) Quamobrem ne & te crapula, & ebrietas, in peccatorum abyssum præcipitem agat, utere nunc vino moderate, sic enim haud dubie malum, (*in quod etiam Religiosi nonnuquam ob vinum immoderate sumptum cadunt:*) effugies, salutemq; tuam in tuto collocabis portu. (h)

(a) *Prov: 23. v. 20.* (b) *Ibid: 31. v. 4.* (c) *Osee 4. v. 11.* (d) *Prov: 20. v. 1.* (e) *Tom: 4. v. 16.* (f) *S. Cæsarius Arelat: Hom: 10.* (g) *1. Cor: 6.* (h) *S. Isidor.*

DIE XXXI.

VÆ vobis! qui saturati estis, quia esurietis. (a) Qui enim diligit epulas in ege-

state

ſtate erit; qui amat vinum, & pingvia, nõ ditabitur. (b) Neq; ebrioſi regnum Cœlorum poſſidebunt. (c) Non eſt enim Regnum DEI, eſca & potus. (d) Sed gloria ejus, ſtercus & vermis eſt. (e) Quare honeſte ambulemus. (f)

Quam ſpem habere poſſunt de DEO, & Beatitudine, quorum Deus venter eſt. S. Antonius.

AFFECTUS.

ANima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. (g) Chriſti bonus odor ſumus DEO. (h) Poſt te *igitur* curremus in odore ungventorum tuorum. (i)

(a) *Luc:* 6. v. 25. (b) *Prov:* 21. v. 17. (c) 1. *Cor:* 6. v. 10. (d) *Rom:* 14. v. 17. (e) *Machab:* 2. v. 62. (f) *Rom:* 13. v. 13. (g) *Num:* 21. v. 5. (h) 2. *Cor:* 2. v. 15. (i) *Cant:* 1. v. 3.

FEBRUARIUS.

DIE I.

MEDITATIO V.

De Avaritia.

NOn erigas oculos ad opes, quas non poteſ habere: quia facient tibi pennas, quaſi aquilæ, & volabunt in Cœlum. (a) Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. (b) Homini igitur avaro, quid prodeſt aurum? (c) Nunquid qui amat divitias, fructum capiet ex eis? (d)

Si cuncta mundi relinquere non potes, sic tene, ut per ea non tenearis. S. Gregor.

REFLEXIO.

MEns avari, semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum intuetur, semper argentum videt, computat semper. Gratiꝰ aurum intuetur, quam solem videt, ipsa ejus oratio, & supplicatio ad DEUM, aurū quærit, vel vellet, ut omnia ei in aurum converterentur. Deniq; quod potest frumentum, in aurum mutat, lana ei aurum efficitur, omnes fructus ejus, omne negotium, omne quod movetur, in aurum vertitur. (e)

(a) *Prov: 23. v. 5.* (b) *Eccl: 1. v. 8.* (c) *Eccl: 10.* (d) *Eccl: 5. v. 9.* (e) *S. Ambr: ser: 18.*

DIE II.

QUid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit. (a) Et quid prodest Possessori, quod cernit divitias oculis suis. (b) Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur: animæ verò suæ detrimentum patiatur. (c) Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. (d)

Desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. S. Bernard.

REFLEXIO.

AVarus semper miser est, & miserabilis, & pau-

paupet, & cæcus, & nudus: *Miser est?* quia divitias cum labore acquirit. *Miserabilis?* quia cum timore custodit. *Pauper?* quia cũ dolore perdit. *Cæcus?* quia nihil aliud respicit. *Nudus?* quia nullum aliud bonum facit. (e) Talis non potest esse contentus, qui non sapit, & non quærit, quæ sursum sunt. (f)

(a) *Prov: 17. v. 16.* (b) *Eccl: 5. v. 10.* (c) *Math: 16. v. 26.* (d) *Coloss: 3. v. 2.* (e) *S. Bonav: serm: 2. de Cath: S. Petri.* (f) *Ibid.*

DIE III.

NIhil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. (a) Sicut *homo* egressus est nudus de utero Matris suæ, sic revertetur. (b) O! vanitas vanitatum, & omnia vanitas! (c) Quare ergo sollicitus es, & turbaris erga plurima? (d) Porro unum est necessarium (*sequi Christum.*) (e)

Dimitte omnia, & invenies omnia: relinque cupidinem, & invenies requiem. Gerson.

REFLEXIO.

AVaro, si totus mundus esset possessio ejus, non quiesceret animus ejus, nam aut vellet DEUM plura creasse, aut alium constituere Creatorem, plura creantem, ut postmodum in omnibus haberet potestatem, sed & sic non esset quietus, quia neq; in terra,

ra, neq; in aqua, neq; in àére, neq; in igne, neq; in omnibus, quæ sunt à DEO creata vellet habere consortem. Vellet ipse moderari naturam, dispositionem imbrium, vim coloris, nubium, & ventorum, ut sibi ad nutum in agellis propriis deservirent. (f)

(a) *1. Tim: 6. v. 7.* (b) *Eccl: 5. v. 14.* (c) *Eccl: 1. v. 2.* (d) *Luc: 10. v 41.* (e) *Ibid: v. 42.* (f) *Simon de Cass: l. 8. C. 50. de Avarit.*

DIE IV.

STulte: hâc nocte animam tuam repetent à te. Quæ autem parasti, cujus erunt? (a) Ecce pecunia tua, tecum sit in perditionem. (b) Et usq; ad infernum demergeris. (c) Cunctis diebûs vitæ suæ, comedit in tenebris, & in ærumna, atq; tristitia. (d)

Qui pecuniæ servit; & præsentibûs compedibûs constringitur & futurîs paratur. S. Chrysost.

REFLEXIO.

HIc deplorat S. Chrysostomus: *O quam miseri sunt avari hujus mundi, quem sequuntur; semper enim tales opera excluserunt à vita.* (e) Cui concinit *S. Bernardus: Dic mihi,* inquit, *ubi sunt avari, amatores divitiarum, qui ante pauca tempora, nobiscum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes. Attende diligenter quid sunt, & quid fuerunt? homines quidem fuerunt sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt,*

duxerunt in bonis dies suos, & ecce in puncto ad inferna cum suis divitiis descenderunt. (f)

(a) *Luc:* 12. *v.* 20. (b) *Actor:* 8. *v.* 20. (c) *Luc:* 10. *v.* 15. (d) *Eccl:* 5. *v.* 16. (e) *S. Chrysost: super Math:* (f) *S. Bernard:* C. 10.

DIE V.

AVaro, nihil est scelestius. (a) Quia avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem, in Regno Christi, & DEI. (b) Faciliùs est enim camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum. (c) Nunquid avarus, qui mortuus est, non est sepultus in inferno? (d)

Avarus antequam lucretur, perdit se ipsum, & antequam aliquod capiat, capitur. S. Aug.

REFLEXIO.

AVarus Vir, inferno est similis; Infernus enim, quatoscunq; devoraverit, nunquam dicit satis est; sic etiamsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquàm satiabitur. (e) O avare! aut judicādum te esse non putas, resurrectionem omnino [illegible] non credis? (f) Scito, quia avari, Re[illegible] DEI non possidebunt. (g)

(a) *Eccl:* 10. *v.* 9. (b) *Eph:* 5. *v.* 5. (c) *Math:* [illegible] *Luc:* 10. (e) *S. Aug: de salut: Doctr:* [illegible] (f) *Salv: l.* 3. *ad Eccl: Cath.* (g) 1. *Cor:* 6. *v.* 10.

DIE

DIE VI.

UBi ſunt, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? (a) Exterminati ſunt, & deſcenderunt ad inferos, & alii loco eorum exurrexerunt. (b) Nunc divites plorate ululantes, in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. (c) Quid ergo ei prodeſt, quod laboravit in ventū? (d)

O! peſtis maligna avaritia, ſemper bonis animis deteſtanda. S. Chryſolog.

REFLEXIO.

NOn poteſt quiſpiam meritum Regni Cœleſtis adipiſci, qui mundi divitiis preſſus, emergendi non habet poteſtatem. (e) Nam per avaritiam, regnat in homine diabolus, & cor ejus tenet, juxta illud: *Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* (f) Divitiæ ſi fluant, id eſt, ſi exundent, tanquam de fonte currant; ne apponas cor tuum. Vel hoc time, divitiæ ſi fluant. Non vides, quia ſi ibi cor poſueris, & tu flues? (g)

(a) *Baruch* 3. *v.* 18. (b) *Ibid: v.* 19. (c) *Jacob:* 5. *v.* 1. (d) *Eccl:* 5. *v.* 15. (e) *S. Ambr: lib.* 5. *ſuper Luc: C.* 6. (f) *Idem in Agone Xſti C.* 1. (g) *S. Aug: in Pſal:* 61.

DIE VII.

QUi abſcondit frumenta, maledicetur in populis. (a) Hic enim, & animam ſuā venalem habet, quoniam in vita ſua, pro-

jecit intima sua. (b) Benedictio autem super caput vendentium. (c) Qui vero odit avaritiam, longi fient dies ejus. (d) Cavete *igitur* ab omni avaritia. (e)

Qui relinquenda servat, alienorum custos est, non Dominus suorum. S. Chrysost.

REFLEXIO.

AVarus, est parcus, ait *S. Bonaventura*: Quemadmodum enim parcus tantum post mortem utilis est; ita avarus nulli proficuus, quàm diu vivit; sed post mortem diabolum facit hæredem animæ suæ, vermes corporis, Parentes divitiarum. O vitium abominandum! ut te semper execrabor. (f) Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum (g)

(a) *Prov: 11. v. 26.* (b) *Eccl: 10. v. 10.* (c) *Prov. 11. v. 26.* (d) *Ibid: 28. v. 16.* (e) *Luc: 2. v. 16.* (f) *S. Bonav: serm: 2. & 3. de avarit:* (g) *S. Aug: Psal: 103. Conc: 4.*

DIE VIII.

USquequo stulti, ea, quæ sibi sunt noxia, cupient? (a) Nunquid enim, qui volunt divites fieri, non incidunt in tentationem, & in laqveum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva? quæ mergunt homines in interitum, & perditionem? (b) Quicunq; sui delectatur, non erit sapiens. (c) Væ ei, qui multiplicat non sua! (d)

Miserô est miserior, qui miseriis ditatur alienis. Zeno Veron.

AFFECTUS.

AVerte Domine oculos meos, ne videant vanitatem. (e) Verumtamen existimo omnia detrimentum esse. (f)

(a) *Prov:* 1. *v.* 22. (b) 1. *Tim.* 6. *v.* 9. (c) *Prov.* 20. *v.* 1. (d) *Habac.* 2. *v.* 6. (e) *Psal:* 118. *v.* 37. (f) *Philip:* 3. *v.* 7.

DIE IX.

MEDITATIO VI.

De Acedia.

HOmo nascitur ad labores, & avis ad volatum. (a) Usquequò piger dormies? quando consurges de somno tuo? (b) Utinam frigidus esses, aut calidus. (c) Sed quia tepidus es, & neq; frigidus, incipiam te evomere ex ore meo. (d)

Amor operatur magna, si est: si verò operari renuit, amor non est. S. Gregor.

REFLEXIO.

SUnt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consvetudine; sed ad hæc agenda, nulla alacritate moventur. Quod vitium propriè *Acedia* dicitur. Et hoc quidem vitiô, Religiosi maxime affliguntur. Nam sæculares admodum pauci, & si hoc sit vitium, non animadvertunt; mundo enim alligati, spiritualis vitii, vix possunt apprehendere nomen. (e) Tu autem Religiose, qui Cœli

quæ-

quæris honorem, excute de toto torporē. ſf ȷ

ſa ȷ *Job: 5. v. 7.* ſb ȷ *Prov: 6. v. 9.* ſc ȷ *Apoc: 3. v. 15.* ſd ȷ *Ibid: v. 16.* ſe ȷ *S. Bernard: tract: de Paſſ: Dom. c. 19.* ſf ȷ *Hugo à S. Vict: ſer: 59.*

DIE X.

VAde ad formicam o piger! & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. ſa ȷ Quæ parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. ſb ȷ Diſce, ubi eſt prudentia? ſc ȷ Qui enim congregat in meſſe, filius ſapiens: qui autem ſtertit in æſtate, filius confuſionis. ſd ȷ

Erubeſce Chriſtiane, quoniam inſipientior jumē-tis, & formicis comprobaris? S. Aug.

REFLEXIO.

EXcute torporem piger Chriſtiane, nihil enim ſtultiùs, quàm in præſenti vita, ubi homo debet ſibi operari, ut in æternùm vivat, in acedia vivere! ſe ȷ Imitare formicam: Qui ergo in juventute ſua id eſt, *in præſenti via* non congregat, quomodo in ſenectute, id eſt: *in futuro ſæculo* inveniet? ſi quidem non videbit autumnus rami fructū, cujus flores ver non vidit. ſf ȷ

ſa ȷ *Prov: 6. v. 6.* ſb ȷ *Ibid: v. 8.* ſc ȷ *Baruch 3. v. 14.* ſd ȷ *Prov: 10. v. 5.* ſe ȷ *S. Thom: Dom. ſempt.* ſf ȷ *S. Gregor: l. 5. in 1. Reg: c. 4.*

DIE

DIE XI.

SIc ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cæperitis, nũc carne conſumamini? (a) Videte igitur, quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes. (b) Tempus redimentes. (c) Scienti ergo bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. (d) Quare ergo ſtulto labore conſumeris? (e)

Nihil boni facere, nihil aliud eſt, quam facere aliquid mali. S. Chryſoſt.

REFLEXIO.

PIgri in Divinis, & in præſenti, & in futuro detrimentum ſuſtinent, quia idipsũ boni quod agunt, faciunt quaſi inſipientes cum labore, & tædio, & ſine conſolatione, & guſtu. Propter quod & parum, aut nihil merentur. Ferventes vero & agiles, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes ſerviunt DEO cum gaudio; & delectabile eſt illis exercere Divina, ideoq; in præmio creſcunt præcipuè, & ſunt DEO chari, & cõplacentes. (f) Religioſe; accedens ad ſervitutem DEI, ſta fortiter in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad laborem. (g)

(a) *Gal:* 3. *v.* 3. (b) *Ephes* 5. *v.* 15. (c) *Ibid:* *v.* 16. (d) *Jacob:* 4. *v.* 17. (e) *Exod:* 18. *v.* 18. (f) *Dyon: Carth:* *in cap:* 6. *Prov.* (g) *Eccl:* 2. *v.* 1.

DIE

DIE XII.

MAledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. [a] Servus autem, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. [b] Mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur, & ardebit. [c]

Attendite quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem. S. Bern.

REFLEXIO.

SI servum habes non rapacem, non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem; idem tamē, si totos dies domi sedeat otiosus, omittatq; ea, quæ ad munus suum attineant, nonne graviter vapulabit? Atqui nihil mali fecit, sed satis maleficii est munus suum, officiumq; neglexisse. [d] Quid hoc dicere est aliud, quàm tepido, & otioso mala præter ea opera non facienti, æternam damnationem minari? *Hinc Salvator noster apud Mathæum: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* [e] Non dicit, quæ facit fructum malum, sed quæ nō facit fructum bonum; quod bene tibi notandum est. [f]

[a] *Jerem:* 48. v. 10. [b] *Luc:* 10. v. 47. [c] *Joan:* 15. v. 6. [d] *S. Chrysost:* [e] *Math:* 7. [f] *Hugo à S. Vict: serm:* 59.

DIE

DIE XIII.

SUrge, qui dormis. (a) Noli negligere gratiam, quæ in te eſt. (b) Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. (c) Anima autem operantium impingvatur. (d) Qui enim ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet. (e) Qui autem ſectatur otium replebitur egeſtate. (f)

Delectat mentem magnitudo præmiorum, cur deterreat certamen laborum. S. Greg.

REFLEXIO.

SI Christus redarguit otioſos à nemine cõductos dicens: *Quid ſtatis hic tota die otioſi?* (g) Quomodo ergo non redarguet illos Religioſos otioſos, quos jam conduxit, ut laborarent in vinea ſua? Hos enim acedia deprimit, & ſpirituali aſſvetos in bello, frequentiſſime ex cordis ignavia facit dormitare præ tædio. Illis non placet legere, non libet pſallere, orationi vacare, celebrare jejunia, nocturniſq; faſtidiunt intereſſe Vigiliis. Amittunt quidquid devotionis eſt, quidquid ſpiritualis lætitiæ, quidquid felicitatis poterat in mente dulceſcere, & velut defuncti, quodam inſenſibilitatis aggere, agnoſcuntur eſſe ſepulti. (h)

(a) *Ephes* 5. v. 14. (b) 1. *Tim*: 4. v. 14. (c) *Apoc*: 3. v. 2. (d) *Prov*: 13. v. 4. (e) 2. *Cor*: 9. v. 6. (f) *Prov*: 28. v. 19. (g) *Math*: 20. (h) *S. Laur: Juſt*: p. 2. l. 1. *de ſpirit: anima.*

DIE XIV.

VUlt, & non vult piger: [a] Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. [b] Mendicabit tandem æstate, & non dabitur illi. [c] Qui enim nõ vult operari, non manducet. [d] Non defraudaris ergo à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat. [e]

Non dormientibus Divina Beneficia, sed observantibus deferuntur. S. Ambr.

REFLEXIO.

STudeamus nunc, pro æterna gloriæ coronâ egregie operari; quia *nunc est tempus acceptabile, & dies salutis*, in quo incomparabiles Cœlestium charismatum thesauros licet comparare. [f] Ponamus itaq; ob oculos mundanorum hominum exempla, qui pro tàm exiguis bonis, tàm magnos labores exaltant; qui pro falsis honoribus adipiscendîs, nullum non lapidem movent, atq; adeò illam pii Ascetæ admonitionem nobis applicemus: *Erubesce Religiose piger, quod illi paratiores inveniuntur ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Pro una re, & parva promissione, die, noctuq; fatigari non timetur; sed proh dolor! pro bono incommutabili, pro summo honore, & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur.* [g] Si ergo homines tanta sustinent, pro terrenis, quid non agere deberet Religiosus pro æternis? [h]

[a]

(a) *Prov: 13. v. 4.* (b) *Ibid: 26. v. 14.* (c) *Ibid: 20. v. 4.* (d) *2. Thessal: 3. v. 10.* (e) *Eccl: 14. v. 4.* (f) *S. Prosper Ep: 4.* (g) *Ludov. Blos. l. 3. c. 3. §. 3.* (h) *S. Leo Hom: 4.*

DIE XV.

QUodcunq; facere potest manus tua, instanter operare. (a) Ecce nunc qui dicitis: hodie, aut crastino, ibimus in illam Civitatem, & mercabimur, & lucrum faciemus. (b) Qui ignoratis, quid erit in crastinum. (c) Erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. (d) Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. (e)

Quando mutaris? cras inquis. Ecce! quoties dicis cras, cras, factus es corvus diluvii. S. Hug.

REFLEXIO.

TRiplex est pigrorum debilitas. Sunt in oculis cæci, contracti in manibus, in pedibus claudi. *Cæci*: quia vident, & non intelligunt. *Contracti*: quia congregant, & non distribuunt. *Claudi*: quia ad intimam erroris lasciviam declinantes rectam salutis viam non arripiunt. (f) De his profecto dicit *S. Leo*: Non dormientibus provenit Regnum Cœlorum nec otio, & desidia torpentibus Beatitudo æternitatis repromittitur. (g)

(a) *Eccl: 9. v. 10.* (b) *Jacob: 4. v. 3.* (c) *Ibid: v. 14.* (d) *Isa: 56. v. 12.* (e) *Gal: 6. v. 10.* (f) *S. Hugo*

S. Hugo à S. Vict: ser: 59. (g) *S. Leo Hom: 4. de Appar.*

DIE XVI.

HÆc fuit iniquitas Sodomæ, otium ipsius. (a) Noluerunt enim quidcunq; manus ejus operari. (b) Propter quod laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. (c) Nunquid omnis arbor, quæ non facit fructum bonum non excidetur, & in ignem mittetur? (d)

Quis te ex tantis malis eripiet? DEUSne? ille, quem contempsisti. S. Basil.

AFFECTUS.

TEmpus est faciendi Domine. (e) Dormitavit anima mea præ tædio. (f) Sed dixi nunc cæpi. (g)

(a) *Ezech:* 16. v. 49. (b) *Prov:* 21. v. 25. (c) *Eccl:* 7. v. 16. (d) *Math:* 3. v. 10. (e) *Psal:* 118. v. 116. (f) *Ibid:* v. 28. (g) *Psal:* 76. v. 11.

DIE XVII.

MEDITATIO VII.

De Luxuria.

VÆ vobis, qui dormitis in lectis eburneis & lascivitis in stratis vestris! (a) Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. (b) Et in puncto ad inferna descendent. (c) Ibi erit fletus, & stridor dentium. (d) Luet quæ fecit omnis, nec tamen consumetur. (e)

Cum

Cum libidine pulsaris, cogita ignem æternum. S. Bonav.

REFLEXIO.

QUanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus Sangvine suo redemit, luxuriosus quisq; propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Vere enim nimium miseranda, & plangenda conditio est, ubi citò præterit, quod delectat, & per diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat, libidinis impetus momento transit, & opprobriũ infelicis ánimæ semper permanet. (f) Attende, cum enim libidine pulsaris, æterni incendii tormenta, ante oculos præpone. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. (g)

(a) *Amos 6. v. 4.* (b) 1. *Thessal 5. v. 3.* (c) *Job 21. v. 13.* (d) *Luc. 13. v. 28.* (e) *Job 20. v. 18.* (f) *S. Aug: ser: 250. de Temp.* (g) *S. Isidor: 2. su: Bo: 39.*

DIE XVIII.

OMnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: iam mæchatus est eam in corde suo. (a) O quam fallax gratia, & vana est pulchritudo. (b) Ingreditur blande. (c) Sed in novissimo mordebit ut coluber. (d) In medio ergo mulierum noli commorari. (e) Nam qui amat periculum, in illo peribit. (f)

S. Hugo à S. Vict: ser: 59. (g) *S. Leo Hom: 4. de Appar.*

DIE XVI.

HÆc fuit iniquitas Sodomæ, otium ipsius. (a) Noluerunt enim quidcunq; manus ejus operari. (b) Propter quod laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. (c) Nunquid omnis arbor, quæ non facit fructum bonum non excidetur, & in ignem mittetur? (d)

Quis te ex tantis malis eripiet? DEUSne? ille, quem contempsisti. S. Basil.

AFFECTUS.

TEmpus est faciendi Domine. (e) Dormitavit anima mea præ tædio. (f) Sed dixi nunc cæpi. (g)

(a) *Ezech: 16. v. 49.* (b) *Prov: 21. v. 25.* (c) *Eccl: 7. v. 16.* (d) *Math: 3. v. 10.* (e) *Psal: 118. v. 116.* (f) *Ibid: v. 28.* (g) *Psal: 76. v. 11.*

DIE XVII.
MEDITATIO VII.
De Luxuria.

VÆ vobis, qui dormitis in lectis eburneis & lascivitis in stratis vestris! (a) Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. (b) Et in puncto ad inferna descendent. (c) Ibi erit fletus, & stridor dentium. (d) Luet quæ fecit omnis, nec tamen consumetur. (e)

Cum

Cum libidine pulsaris, cogita ignem æternum. S. Bonav.

REFLEXIO.

QUanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus Sangvine suo redemit, luxuriosus quisq; propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Vere enim nimium miseranda, & plangenda conditio est, ubi citò præterit, quod delectat, & per diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat, libidinis impetus momento transit, & opprobriũ infelicis ánimæ semper permanet. (f) Attende, cum enim libidine pulsaris, æterni incendii tormenta, ante oculos præpone. Sicut enim clavus clavum expellit, ita sæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. (g)

(a) *Amos 6. v. 4.* (b) 1. *Thessal 5. v. 3.* (c) *Job 21. v. 13.* (d) *Luc. 13. v. 28.* (e) *Job 20. v. 18.* (f) *S. Aug: ser: 250. de Temp.* (g) *S. Isidor: 2. su: Bo: 39.*

DIE XVIII.

OMnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: jam mæchatus est eam in corde suo. (a) O quam fallax gratia, & vana est pulchritudo. (b) Ingreditur blande. (c) Sed in novissimo mordebit ut coluber. (d) In medio ergo mulierum noli commorari. (e) Nam qui amat periculum, in illo peribit. (f)

In periculo qui non vult fugere, vult perire. S. Aug.

REFLEXIO.

CRedis hoc? non credam te credere, nisi ex animi tui ſententia poſſis repetere illud: *Præſtat millies mori, quam DEUM vel leviſſimè offendere.* Loquere. Nolo autem; loquatur lingva tua, vita tua ipſa loquatur. Dicitne hoc vita tua, meliùs eſt mori, quàm libidine maculari? Dicitne hoc vita tua: *præſtat millies mori, quam DEUM millies offendere?* Atqui hoc Ethnicus dixit? (g) Reſpondeat tibi de te conſcientia tua, num audeas te Chriſtianum dicere?

(a) *Math:* 5. *v.* 28. (b) *Prov:* 31. *v.* 30. (c) *Ibid:* 23. *v.* 31. (d) *Ibid:* 23. *v.* 32. (e) *Eccl:* 42. *v.* 12. (f) *Eccl:* 3. *v.* 27. (g) *Cicero.*

DIE XIX.

QUi ſe jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum. (a) Turpitudinem, & ignominiam congregabit ſibi, & opprobrium illius non delebitur. (b) Cave ergo. (c) Ne des animam tuam fornicariis, ne perdas te, & hæreditatem tuam. (d) Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima. (e)

Melius eſt mori, quam libidine maculari. S. Anſelm.

REFLEXIO.

INter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. [f] Res, quæ, heu! probatione non indiget. Hinc enim est, quod tanta animarum copia, de latere Christi cadat, nec resurgat, ut demptis parvulis, ex adultioribus, propter carnis vitium, pauci salventur. [g] Terribilis est & illa sententia, sed multis experientiis certa: *Quisquis triginta annos, aut alio longo tempore in libidinis vitio obsorduerit, eum non solum difficillime corrigi, sed nec posse, nisi extraordinariâ DEI gratiâ, & velut patrato miraculo restitui.* [h] Attende & tibi Religiose: melius est absq; opere, incidere in manus Dæmonum, quàm peccare in conspectu Domini. [i]

[a] *Eccl:* 19. *v.* 3. [b] *Prov:* 6. *v.* 33. [c] *Tob:* 4. *v.* 6. [d] *Eccl.* 9. *v.* 6. [e] *Job.* 31. *v.* 11. [f] *S. Aug. ser.* 250. *Temp.* [g] *S. Remig. Ep.* [h] *Drexel.* [i] *Daniel.* 13.

DIE XX.

NOn concupisces. [a] Oculus Adulteri observat caliginem, dicens; non me videbit oculus. [b] nunquid igitur non videt DEUS? [c] Nunquid opera omnis carnis non sunt coram illo? & non est quidcumq; absconditum ab oculis ejus? [d] Væ

qui profundi estis corde! quorum opera sunt in tenebris, & dicunt: Quis videt nos? (e)

DEUM Arbitrum omnium esse scimus, & eo teste peccamus? S. Ambr.

REFLEXIO.

Recede à tabernaculis hominum impiorum, & noli tangere, quæ ad illos pertinent, ne involvaris in peccatis eorum. (f) Adulterium sic time, quomodo mortem; mortẽ, non quæ animam solvit à corpore, sed ubi anima semper ardebit cum corpore. (g) Quis enim mortalium, juxta viperam, securos somnos capiet? (h) time: quia nemo bonus secure cum malis habitat. (i)

(a) *Deut.* 5. *v.* 21. (b) *Job.* 24. *v.* 15. (c) *Ezech:* 9. *v.* 9. (d) *Eccl:* 39. *v.* 24. (e) *Isa:* 29. *v.* 15. (f) *Num:* 16. *v.* 26. (g) *S. Aug: ser:* 104. *de Temp:* (h) *S. Hier: Epist.* 147. (i) *S. Laur. Just: de triumph: Christi Cap:* 6.

DIE XXI.

Videte, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes. (a) Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. (b) Nõ sic impii non sic. (c) Sed induimini Dominum JESUM Christum. (d) Ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris. (e) Ne sequeris in fortitudine tua concupiscẽtiam cordis tui. (f)

Quid

Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie, aut perire, aut vincere. S. Hier.

REFLEXIO.

OMnem conversationem fugias, quantùm poteris, tametsi tibi videatur levissima. Non aspicias faciem mulieris, neq; salutes eam amanter, neq; manus ejus comprimas. Sed si quæ tibi cum illa tractanda sunt, ea graviter festinanterq; peragas; nec diutiùs cum ea converseris, quàm sola, ac nuda nuda necessitas postulat. [g] *S. Aloysius* adeò mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres, nullam etiã consangvinitate conjunctam aspicere sustinebat. [h] Imitare & tu similiter.

[a] *Ephes 5. v. 15.* [b] *Psal: 31. v. 9.* [c] *Ps: 1. v. 5.* [d] *Rom: 13. v. 14.* [e] *2. Cor: 4. v. 11.* [f] *Eccl: 5. v. 2.* [g] *Castiniza: C. 11.* [h] *Lochner titul: mulier.*

D I E XXII.

AVerte faciem tuam, à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. [a] Species enim mulieris alienæ, multi admirati, reprobi facti sunt; Nam colloquium illius, quasi ignis exardescit. [b] Insidiatur in via, quasi latro, & quos incautos invenerit, interficiet. [c] Quia generat mortem. [d]

Cum fœmina semper esse, & non peccare, plus est, quàm mortuum suscitare. S. Bernard.

REFLEXIO.

SAmson leone fortior, & saxo durior, qui & unus, & nudus, mille persecutus est armatos, in Dallilæ mollescit complexibus. *David* secundum Cor Domini electus, & qui venturum Christum Sancto sæpè ore cantaverat,, postquam deambulans super tectum domus suæ, Betsabeæ captus est nuditate: adulterio junxit homicidium. *Salomon*, per quem cecinit ipsa sapientia, recessit à Domino, quia amator mulierum fuit. Et ne quis sibi de sangvinis propinquitate consideres in illicitum *Thamar sororis*, *Amnon frater* exarsit incendium. (e) Idcirco & tu omnem conversationem, quæ aliqua occasione ad tentationes morosas conjuncta est, fugias. (f)

(a) *Eccl*: 9. v. 8. (b) *Ibid*: v. 11. (c) *Prov*: 23. v. 28. (d) *Jacob*. 1. v. 15. (e) *S. Hier*: t. 1. *Epist*: 22. *Eustoch*. (f) *Castaniza C*. 11.

DIE XXIII.

NE intenderis fallaciæ mulieris. (a) multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quoq; interfecti sunt ab ea. (b) Qui credit cito, levis corde est, & minorabitur. (c) Quia mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos. (d) Melior est

enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens. (e)

Juxta serpentem positus, non eris diu illæsus. S. Isidor.

REFLEXIO.

SI veracitèr vis delectari, (*ait Christus*) & abundantiùs à me consolari? ecce in contemptum omnium mundanorum, & in abscissione omnium infimarum delectationum, erit benedictio tua, & copiosa tibi reddetur consolatio. Et quantò plùs te, ab omni creaturarum solatio abstraxeris, tantò in me svaviores, & potentiores consolationes invenies. (f) Idcirco si vis obtinere victoriam, apprehende fugam, contra libidinis impetum. (g) Necessarium Apostoli præceptum: *Fugite fornicationem.* (h)

(a) *Prov:* 5. *v.* 2. (b) *Ibid:* 7. *v.* 26. (c) *Eccl:* 19. *v.* 4. (d) *Ibid: v.* 2. (e) *Ibid:* 42. *v.* 14. (f) *Gerson l.* 3. *c.* 12. (g) *S. Aug: ser:* 250. *de Temp:* (h) 1. *Cor:* 6. *v.* 18.

DIE XXIV.

AN nescitis, quoniàm membra vestra, tēplum sunt Spiritûs Sancti? (a) Nescitis, quoniàm corpora vestra, membra sunt Christi? tollens igitur membra Xsti, faciam mēbra meretricis. (b) Sciat ergo unusquisq; vestrum, vas suum possidere in sanctificatione, & honore. (c) Non in passione desiderii,

derii, ſicut & Gentes, quæ ignorant DEUM. (d)

Toties anima DEUM negat, quoties ſubſternitur voluptati. S. Laur: Juſt.

AFFECTUS.

QUomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEUM? (e) Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mentis hujus. (f)

(a) *1. Cor: 6. v. 19.* (b) *Ibid: v. 15.* (c) *1. Theſſal: 4. v. 4.* (d) *Ibid: v. 5.* (e) *Gen: 39. v. 9.* (f) *Rom v. 24.*

DIE XXV.
MEDITATIO VIII.
De Ira.

FIli; in manſvetudine ſerva animam tuã. (a) Si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite, in ſpiritu lenitatis. (b) Oſtendentes manſvetudinem, ad omnes homines. (c) Ira enim viri, juſtitiam DEI non operatur. (d) Nolite ergo dare locum diabolo. (e)

DEUM intuere; peccas tu quotidie. Num propterea DEUS iraſcitur? abſit etiam blanditur. S. Hier.

REFLEXIO.

IMple Chriſtiane judex, pii Patris officiũ; ſic ſuccende iniquitati, ut conſulere humanitati memineris, nec in peccati atrocitatibus,

tibus, exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. (f) Magna laus tibi erit, si tu homo mansvetus homini es. (g) Nam per iram justitia relinquitur; quia dum perturbata mens, judicium rationis suæ exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. (h) Imitare ergo pii Patris officium; sæpè enim Pater irascitur Filio, sed non odit filium, irascitur, ut corrigat. Si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. (i)

(a) *Eccl: 10. v. 31.* (b) *Gal: 6. v 1.* (c) *Tim: 3. v. 3.* (d) *Jacob: 1. v. 20.* (e) *Ephes 4. v. 7.* (f) *S. Aug. Epist: 159. ad Marcell.* (g) *Seneca Epist: 95.* (h) *S. Greg: super illud Job: Virum stultum &c.* (i) *S. Anton. Padv: Hom: 40. ex Quinqu.*

DIE XXVI.

NOn te ergo superet ira. (a) Sed desine ab ira, & derelinque furorem. (b) Ira & furor, utraq; exacrabilia sunt. (c) Quare, noli vinci à malo: sed vince in bono malum. (d) Quia servum Domini non oportet litigare, sed mansvetum esse ad omnes. (e)

Vindicare vis? sile: & funestam inimico dedisti plagam. S. Chrisost.

REFLEXIO.

IRascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, ut non rerũ indi-

indignatione moveamur. Alioquin non virtus, ſed lentitudo, & remiſſio judicatur. Iraſcimini ita, ut à culpa abſtineatis, vel ſi iraſcimini, nolite peccare. Sed vincite ratione iracundiam. (f) Surgit ira? noli dare iræ lingvam ad maledicendum, noli dare iræ manum, aut pedem ad feriendum. (g) Quia iracundus etiamſi mortuum ſuſcitet, nulli placet. (h)

(a) *Job 36. v. 18.* (b) *Pſ: 36. v. 8.* (c) *Eccl: 27 v. 33.* (d) *Rom: 12. v. 21.* (e) *2. Timot: 2. v. 24.* (f) *S. Ambr: l. 1. offic: c. 21.* (g) *S. Ant: Padv. tract. 31. in Evang: Joan: c. 8.* (h) *V. Bede tit. de iracundia.*

DIE XXVII.

QUi ad indignandum facilis eſt, erit ad peccatum proclivior. (a) Quare noli, eſſe ſicut leo in domo tua. (b) Melior eſt enim ira riſu, quia per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. (c) Reſponſio mollis frangit iram. (d) Qui autē provocat iras, producit diſcordias. (e)

Iraſci hominis eſt, iram non perficere Chriſtiani. Salvian.

REFLEXIO.

NE dixeris: commotus ira, eſt improbus nec ferre poſſum, tunc enim maximè attendenda eſt manſvetudo, cum res nobis eſt, cum ſævis, & agreſtibus hominibus, quan-

quando cum his, qui ſunt ab humanitate, & manſvetudine longe alieniſſimi, tunc ejꝰ virtus oſtenditur. (f) Qui autem vult irā ſuam juſtam probare, plùs inflammatur, & citò in culpam cadit. (g)

(a) *Prov: 29. v. 22.* (b) *Eccl: 4. v. 35.* (c) *Eccl: 7. v. 4.* (d) *Prov: 15. v. 1.* (e) *Ibid: 30. v. 33.* (f) *S. Chryſoſt: Hom: de Manſvet.* [g] *S. Ambr: lib. 1. offic: 21.*

DIE XXVIII.

NE ſis velox ad iraſcendum. (a) Fatuus enim ſtatim indicat irā ſuam. (b) Quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. (c) Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. (d) Quia omnis, qui iraſcitur Fratri ſuo, reus erit judicio. (e) Memorare timorem DEI, & non iraſcaris proximo. (f)

Vindicare vis Chriſtiane? nondum vindicatus eſt Chriſtus. S. Aug.

AFFECTUS.

MIſerere mei DEUS, quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus; anima mea, & venter meus. (g)

(a) *Eccl: 7. v. 10.* (b) *Prov: 12. v. 16.* (c) *Eccl: 7. v. 16.* (d) *1. Theſſal 5. v. 15.* (e) *Mat. 5. v. 22.* (f) *Eccl: 28. v. 8.* (g) *Pſal: 30. v. 10.*

MAR-

MARTIUS.

DIE I.

MEDITATIO IX.

De Invidia.

QUi ſibi invidet, nihil eſt illi nequitiùs. (a) Qui enim ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis ſuis. (b) Maledictus igitur erit ſuper terrā. (c) Videbit enim & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorū peribit. (d)

Quomodo potuerunt fieri boni, qui ſunt in bono mali? S. Proſper.

REFLEXIO.

O Invide! qui nunquam bonus quieſcere potes; An ignoras, quod omnis malitia, habeat aliquam felicitatis umbram? Invidi enim ſibimetipſis, fabricant ærumnam, & miſeriam æternam. (e) Fruſtra opem miſericordiæ cæleſtis expectas, ſi alienæ virtutis fructibus invideas; Aſpernator enim Dominus invidorum eſt, & ab iis, qui Divina Beneficia, in aliis perſequuntur, miraculæ ſuæ poteſtatis avertit. (f)

(a) *Eccl:* 14. *v.* 6. (b) *Ibid: v.* 5. (c) *Gen:* 4. *v.* 11. (d) *Pſal:* 111. *v.* 10. (e) *S. Aug: ſerm:* 18. *ad Fratres.* (f) *S. Ambr: l.* 4. *in Luc;* 4.

DIE II.

INsatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat aretaciens animam suam. (a] Quia spiritus tristis exsiccat ossa. (b) Putredo ossium invidia. (c) Ne dederis in tristitia cor tuū. (d) Nam in mærore animi dejicitur spiritus. (e)

Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est. S. Chrysolog.

REFLEXIO.

SI quis quantumcunq; Sanctus sit, & perfectus; si pestifero invidiæ veneno, se, contaminari permittit, vitam amittet, gratiæ jacturam faciet, virtutum omnium, operum bonorum cujuscunq; doni, & gratiæ Cœlestis, *dicente S. Chrisostomo:* Sive signa quis faciat, sive virginitatem, sive jejunium, sive humi dormitionem ostenderet, ac per ejusmodi virtutem, ad Angelos usq; pervenerit; Invidiæ verò subjectus sit affectui, omnibus est execrabilior.

(a) *Eccl: 14. v. 9.* (b) *Prov: 17. v. 22.* (c) *Prov: 14. v. 30.* (d) *Eccl: 38. v. 21.* (e) *Prov: 15. v. 13.*

DIE III.

CAin occidit Fratrem quoniam opera ejus maligna erant, Fratris autem ejus justa. (a] Quid facimus: quia hic homo multa

signa

signa facit? (b) Quare tu gemis miser? (c) Quid ad te? (d) An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? (e) Væ illis qui in via *Cain* abierunt. (f)

Quare invides justo? quia vis videri justus? cito fac, quod melius est, & facilius eris. S. Aug.

REFLEXIO.

VIs videri justus? esto rebus: ita diliges cui invidebas; quia quod illum doles esse, eris & tu; & amabis in eo te, & ipsũ in te. Etenim si invideres diviti, non esset in potestate tua, ut dives esses. Si invideres honesto alicui Senatori nobili, non esset in potestate tua, ut nobilis tu esses, & clarus. Si invides justo; res in voluntate est. Esto quod doles esse alterum. Non enim empturus es, quod tu non es & alius est. Gratis constat, cito constat. (g)

(a) 1. *Joan*: 3. v. 12. (b) *Joan*: 11. v. 47. (c) *Ezech*: 21. v. 7. (d) *Joan*: 21. v. 22. (e) *Math*: 20. v. 15. (f) *Judæ* v. 11. (g) *S. Aug*: *in Psal*: 139.

DIE IV.

BEatus vir, qui post aurum non abjit. (a) In hoc enim vanitas, & cura superflua est. (b) Homini livido, ad quid aurum? (c) Nunquid invidia diaboli non introivit in orbem terrarum? (d) Mors enim illius, mors nequissima. (e) Quia occidit animam. (f)

Invi-

Invidia interimit animam in qua est, & consumit. S. Prosper.

REFLEXIO.

INvidus sibi ipsi mors est, & sepulchrum, (*ut ait S. Zeno:*) *adducendo similitudinem*; sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est interimit, & consumit. (g) Merito *S. Augustinus alloquitur invidum*: Tormentum sine refrigerio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate, semper habere videris. O invide! vermis mortifere, qui in hedera Jonæ quotidie nasceris! O igneus serpens! quo populus Israel pungitur. (h)

(a) *Eccl: 31. v. 8.* (b) *Eccl: 4. v. 4.* (c) *Eccl: 31. v. 3.* (d) *Sap: 2. v. 24.* (e) *Eccl: 28. v. 28.* (f) *Sap: 1. v. 11.* (g) *S. Zeno ser: de livore.* (h) *S. Aug: serm: de invidia.*

DIE V.

QUid necesse est homini, majora se quærere: cum ignorat, quid conducat sibi in vita sua. (a) Quoniam tanquàm fænum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. (b) Meliùs enim videre, quod cupias, quàm desiderare, quod nescias; sed & hoc vanitas. (c)

Omnis copia, quæ non est DEUS egestas est. S. Aug.

RE-

REFLEXIO.

O Ut cognoſcant homines, rerum tam manifeſtam vanitatem, & nullus vel ulli invideat! Cogita & tu, de quo invides alteri, aſſecutus fueris nihilo magis cupiditatē tuam exſatiatum iri. Quando ergo videris divitem, cogita illo dotiorem, & videbis eum itidem ut tu es eſſe affectum, invidebit nempe ditiari. Poſt ipſum autem, cogita etiam eum, qui eſt te pauperior. (d) Hoc tene pro certo: quantumcunq; aſcenderis, niſi animum tuum correxeris, nihilo expleberis; ſemper erit aliquid, quod iterùm concupiſcas, de quo iterum invideas, quod eſt vanitas. (e)

(a) *Eccl: 7. v. 1.* (b) *Pſal: 36. v. 2.* (c) *Eccl: 6. v. 9.* (d) *S. Chryſoſt: 1. Cor: Hom: 38.* (e) *Idē ibid.*

DIE VI.

SI quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. (a) Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina ejus, ne exultet cor tuum. (b) nam qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. (c) Qui foveam fodit, incidet in eam. (d)

Dum quis Zelo in fratris odia convertitur gladio ſuo neſcius ipſe perimittitur S. Cyprianus.

REFLEXIO.

AMan invidens gloriæ *Mardochai*, quæſivit

ab

ab *Asvero Rege*, deleri totum genus Judæorū, & ipsum *Mardochaum* in ligno præparato suspendi; sed mediante *Reginâ Ester*, versa est sententia contra eum, ut illo die suspenderetur in ligno, ab eo præparato, & omne genus suum deletum. (e) Noli invidere; quia quantò majore invidia laboras, tantò majora illi offers bona, cui invides. (f)

(a) *1. Cor: 12. v. 26.* (b) *Prov: 24. v. 17.* (c) *Ibid: 17. v. 5.* (d) *Eccl: 27. v. 29.* (e) *Esther 7.* (f) *S. Joan: Chrysost: Hom: 41. super Math.*

DIE VII.

NE comedas cum homine invido, & ne desideres cibos ejus. (a) Comede, & bibe, dicet tibi; & mens ejus, non est tecum. (b) Nam simulator ore, decipit amicum suum. (c) Homo enim, qui blandis, fictisq; sermonibus, loquitur amico suo: rete expandit gressibus ejus. (d)

Fuge, fuge, si salutem amas; fuge; latet anguis in herba! S. Prosper.

REFLEXIO.

FUgiamus invidiam obicem pietatis, obstaculum Regni Cœlorum, viam gehennæ, & primitias quasdam pœnæ perpetuæ. (e) Ex invidia enim sequuntur hi effectus: Vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, & stridor in dentibus, verba rapida, manus ad violentiam prompta,

& si gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis plena. (f)

(a) *Prov: 23. v. 6.* (b) *Ibid: v. 7.* (c) *Ibid: 11. v. 9.* (d) *Ibid: 29. v. 5.* (e) *S. Zeno Ep: serm: de Livore.* (f) *Gloss. Fulgent: in 6. Galat.*

DIE VIII.

QUidam propter invidiā, & contentionem Christum prædicant. (a) Sed talis homo non erit particeps sapientiæ. (b) Nam invidiæ, & odii fomitem ministravit. (c) Quare, noli æmulari in malignantibus: neq; zelaveris facientes iniquitatem. (d)

Invide quid suspiras? propriumne malum an alienum bonum? S. Basil.

AFFECTUS.

COntemplatus sum omnes labores hominū. Et industrias animadverti patere invidiæ proximi. (e) *Sed* portio mea Domine dixi custodire legem tuam. (f)

(a) *Philip: 1. v. 17.* (b) *Sap: 6. v. 25.* (c) *Gen: 37. v. 8.* (d) *Psal: 36. v. 1.* (e) *Eccl: 4. v. 4.* (f) *Psal: 118. v. 57.*

DIE IX.

MEDITATIO X.

De Detractione.

NOlite condemnare. (a) Quomodo igitur potes dicere Fratri tuo: Frater, sine dejiciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo

lo tuo

lo tuo trabem non vides? (b) Hypocrita accipe, quod tuum est. (c) Ejice primum trabem de oculo tuo. (d) Nunquid potest cæcus cæcum ducere? (e)

Nunquam alii detrahes, si bene perspexeris. S. Anselmus.

REFLEXIO.

NOlite detrahere alterutrum Fratres mei, monet *S. Bernardus* (f) Quia ex detractione odia pullulant; jurgia nascuntur, dissidia ortum trahunt, suspitiones malæ procreantur. (g) Omnis enim detractor, infidelis est, & pejor cane; quia ad devorãdum proximum, multos advocat; & quandò fædiorem invenit, tantò libentiùs comedit, & aliis ad comedendum apponit. (h) Si quis nunciarit, quemdam tibi maledicere; ne refuta, quæ dicta sunt; sed responde: Eum nescîsse cætera tua vitia; Nam alioquin non illa sola fuisse dicturum. (h) O aureum verbum ab ore gentili!

(a) *Luc: 6. v. 37.* (b) *Ibid: v. 42.* (c) *Math: 20. v. 14.* (d) *Luc: 6. v. 42.* (e) *Ibid: v. 39.* (f) *S. Bernard: ser: 24. in Cant.* (g) *S. Joan: Chrysost: in Psal: 100.* (h) *Epictetus Enchirid: c. 48.*

DIE X.

QUare ergo non timuistis detrahere servo meo? (a) Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? (b) Detrahentem secreto pro-

ximo ſuo, hunc perſequebar. (c) Quia nō hominem, ſed DEUM ſpernit. (d) Non facies ergo calumniam proximo tuo. (e) Non eris criminator, nec ſuſurro. (f)

Unusquisque attendat ſibi ipſi, & ſua ipſius mala caveat. S. Doroth.

REFLEXIO.

CAveamus ergo à detractione, in qua enim menſura menſi fuerimus, remetietur nobis. Si ergo nos peccata noſtrorum Fratrum celaverimus, DEUS etiam teget noſtra. Sed pauci ſunt, qui huic vitio detractionis renuntient; raroq; invenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velit, ut non libenter reprehendat alienā, tantaq; hujus mali libido, mentes hominum invaſit, ut etiàm qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi in extremum diaboli laqueum, incidant. (g)

(a) *Num*: 12. v. 8. (b) *Iſa*: 33. v. 1. (c) *Pſal*; 100. v. 5. (d) 1. *Theſſal* 4. v. 8. (e) *Levit*: 19. v. 13. (f) *Ibid*: v. 16. (g) nb.

DIE XI.

VÆ, qui dicitis malum bonum. (a) Multi enim ceciderunt in ore gladii. (b) Qui calumniatus eſt, & vim fecit Fratri, ecce mortuus eſt in iniquitate ſua. (c) Et ſepultus eſt in inferno. (d) Attende igitur, ne fortè labaris in lingva, & ſit caſus tuus, inſanabilis in mortem. (e) *Le-*

Levis quidem res ſermo, leviter volat, ſed graviter vulnerat. S. Bernard.

REFLEXIO.

VIde quanta damna hoc vitium deſtractionis importat; depingit ea *S. Bernardus* in hæc verba: Nunquid non eſt vipera lingva detractoris? ferociſſima plane, nimirum quæ lethaliter inficiat tres flatu uno. Nũquid non eſt lancea iſta lingva? Profecto & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingva eorum inquit gladius acutus. Gladi9 equidem anceps imo triplex eſt lingva detractoris. Addit deinde & crudeliorem eſſe lancea, ſpinis, & clavis, quibus Chriſtus crucifixus eſt, eò, quod detractor occidit ſe ipſum, audientem, & cui detrahit. (f) Detractorum verò nota, vox, & gladius eſt; vox *niſi* dum dicunt bonus eſſet, niſi hoc, vel illud vitium haberet? Unde notum diſtychon.

Si *niſi* non eſſet quam felix quilibet eſſet.
Sunt pauci viſi, qui caruêre *niſi.*

(a) *Iſa: 5. v. 20.* (b) *Eccl: 28. v. 22.* (c) *Zech: 18. v. 18.* (d) *Luc: 16. v. 22.* (e) *Eccl: 28. v. 30.* (f) *Pallad: c. 19. n. 15. de tris: Cuſtod:*

DIE XII.

CAve tibi, & attende diligenter auditui tuo. (a) Audiſti verbum adverſus proximum tuum, commoriatur in te. (b) In

cogitatione tua, Regi (*superiori*) non detrahas, & in secreto cubiculi tui, non maledixeris. (c) Et si defecerit sensu, ne spernas eum. (d) Ut sis longævus super terram. (e)

Pejor est detractio in magni nominis viris, quàm in plebeis. S. Aug.

R E F L E X I O.

QUæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito; ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuũ. (f) Sicut enim lepra, proprium corpus devorat, & sibi adhærentes inficit; Sic & detractor, non solum se ipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit, & occidit. (g) Quomodo igitur pro hujus vitii extirpatione, nõ laborandum erit? præterquam enim, quod detractores in plurima incidant mala. Etiã à *S. Augustino* assimiliantur porcis; quemadmodum enim porci, dum hortum aliquem, floribûs consitum ingrediuntur, non attingunt flores, sed fimum, vel aliam lutulentam materiam, dum inveniunt, in ea se volutant, & ore suffodiunt: Ita detractores, in homine non virtutes, & laudabilia facta, sed sola crimina, & defectus, coram aliis proferre gaudent, ut eorum famam imminuant. (h) Scito ergo: *si* susurro, & bilingvis es, maledictus *eris.* (i)

(a) *Eccl:* 13. *v.* 16. (b) *Ibid:* 19. *v.* 10. (c) *Eccl:*

Eccl: 10. v. 20. (d) *Eccl: 3. v. 5.* (e) *Exod: 20. v. 12.* (f) *Prov: 25. v. 8.* (g) *S. Aug: serm: 20.* (h) *Idem lib: 12. contra Faust:* (i) *Prov: 28. v. 15.*

DIE XIII.

RElcede procùl à calumnia. (a) Cum detractoribus non commiſcearis; quoniam repentè ſurgit perditio eorum. (b) Quare, ſepe aures tuas ſpinîs, & lingvam nequ m noli audire. (c) Ne fortè inde contentiones, detractiones, ſuſurrationes ſint inter vos. (d)

Quot detractores audis, tot in aures dæmones recipis. S. Bernard.

REFLEXIO.

QUis eſt, qui velit ſibi detrahi? ſed iterũ quis eſt, qui non aliquando velit detrahere alteri? Facile decipimur, blandimur nobis, & omnia quæ loquimur, recta putam9; interim necamus pretioſas animas. (e) Nã ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. (f) Ergo ne fallamur, ſtudeamus de quocunq; altero loqui, nonniſi cum honore, & amore. Idq; etiam erga malos, & inimicos obſervemus, ne majoris diſcordiæ, & aliorum incommodorum cauſa ſimus: Etenim nemo malus, male audiri vult. (g)

(a) *Iſa: 54. v. 14.* (b) *Prov: 24. v. 21.* (c) *Eccl: 28. v. 28.* (d) *2. Corinth: 12. v. 20.* (e) *Hugo*

Hugo Card: Epist: in Jacob. (f) *Eccl: 10. v. 11.* (g) *S. Chrysost: Florileg. Hom: 26.*

DIE XIV.

QUi vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat lingvam suam à malo. (a) Beatus Vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo. (b) Nam qui custodit os suum, custodit animam suam. (c) Remove igitur à te os pravum, & detrahentia labia, sint procul à te. (d)

De malo alieno, os tuum non coinquines, non detrahas peccatis, sed condole. S. Bernard.

REFLEXIO.

HInc discat quilibet, peccata proximi celare, & si non habet, ut loquatur de eo bonum, reticeat etiam malum, quòd forsan scit. Præclare hoc *S. Augustinus* non solum ipse præstitit, sed ut ab aliis quoq; inviolabiliter servaretur, itidem monuit. Quamobrem ut convivas suos, à superfluis & noxiis fabulis, & detractionibus arceret, hoc distychon, supra mensam scriptum habebat.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

(a) *1. Petr: 3. v. 10.* (b) *Eccl: 14. v. 1.* (c) *Prov: 13. v.* (d) *Ibid; 4. v. 24.* (e) *Possidon: in vita c. 22.*

DIE

DIE XV.

NOlite detrahere alterutrum Fratres. (a) Detractores DEO odibiles. (b) Abominatio hominum Detractor. (c) Quod si invicem mordetis, & comedetis: videte ne ab invicem consumamini. (d) Nam lingva est universitas iniquitatis. (e) Inquietum malum plenum veneno mortifero. (f)

Detractor devorat ampliùs, quàm infernus; Infernus devorat solùm malos. S. Bernard.

REFLEXIO.

COnsideret quisq; doctrinam, & exemplū Christi Servatoris nostri, qui interrogatus à Pontifice de suis discipulis, & doctrina ejus, nihil aliud respondit, nisi hoc: *Ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt.* De Discipulis vero suis nil respondit, quoniam parum boni, pro tunc de eis scivit; Unus enim eorum eum tradidit, alter negavit, cæteriq; eô relictô fugerunt, ideoq; de illis altissimum tenuit silentium. (g) Imitare & tu: qui enim celat delictum, quærit amicitias. (h)

(a) *Jacob: 4. v. 11.* (b) *Rom: 1. v. 30.* (c) *Prov: 24. v. 9.* (d) *Galat: 5. v. 15.* (e) *Jacob. 3. v. 6.* (f) *Ibid: v. 8.* (g) *S. Aug: ser: 6.* (h) *Prov: 17. v. 9.*

DIE

DIE XVI.

NE insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neq; vastes requiem ejus. (a) Septies enim in die cadet justus, & resurget. (b) Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite lingvæ; Quoniam sermo obscurus, in vacuum non ibit. (c) Qui enim in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet. (d)

Quod in alio detrahis in te pertimesce. S. Anselm.

AFFECTUS.

POne Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis. (e) Ut non cadam, & lingva mea, ne perdat me. (f)

(a) *Prov: 24. v. 15.* (b) *Ibid: v. 16.* (c) *Sap: 1. v. 11.* (d) *Eccl: 27. v. 28.* (e) *Psal: 140. v. 3.* (f) *Eccl: 22. v. 33.*

DIE XVII.

MEDITATIO XI.

De Judicio temerario.

TU quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. (a) Et tu judicas Fratrem tuum? (b) Quis constituit te Principem & judicem? (c) Quid autem vides festucam, in oculo Fratris tui; & trabem in oculo tuo, non vides? (d) Medice, cura te ipsum. (e) *Te*

Te ipsum respice, tu, qui alios judicas, esto aliquando tui judex. S. Cyprian.

REFLEXIO.

NUllus de onere suo sollicitus est, sed proximorum nostrorum peccata, curioso & temerario judicio lustramus. Ad collum usq; cœno obliti sumus, nec quidquam pensi habemus, ad senectutem usq; aliena curamus, neq; in ipso senio mala propria expendimus. Minuta fratrum nostrorum peccata intuemur, at trabem, quæ est in oculo nostro, non videmus. (f) Neminem ergo judica, nisi temetipsum. Propriorum enim tuorum malorum, tibi conscius es, & proximorum occulta bona, videre non potes. (g)

(a) *Rom*: 14. *v*. 4. (b) *Ibid*: *v*. 10. (c) *Exodi* 2. *v*. 34. (d) *Math*: 7. *v*. 3. (e) *Luc*: 4. *v*. 23. (f) *S. Anast*: *Pato. Orat*: *de non judic*. (g) *Dyon*: *Carth*: *de Perf*: *Charit*. *Art*: 47.

DIE XVIII.

IN cogitationibus impii interrogatio erit. (a) Hi qui sunt? & unde venerunt? (b) Quare tu gemis? (c) Quid enim tibi de his, qui foris sunt, judicare? (d) Nunquid DEUS non est Judex? (e) Et non est alius præter unum DEUM. (f) Quid ergo ad te. (g)

Si

Si unusquisq; de proximo judicat, quid DEO reſervamus? S. Hioron.

REFLEXIO.

AUdiamus S. *Bernardinum* dicentem: Duo ſunt, quæ ſibi DEUS retinuit, & ſpectant ad ipſum ſolum: ſcilicet, gloria & judicium; juxta illud: *Gloriam meam nemini dabo. Judicium dedit ei Pater facere.* (h) Magna utiq;, & omnî ſeveriſſimô ſuppliciô digniſſima arrogantia foret, ſi ſubditus aliquis Regi in Throno ſedenti, & diademate Regio redimito, ſceptrumq; in manibus ferenti, coronam, & ſceptrum violenter eriperet; Hoc autem facit omnis ille, qui proximum de occultis cordis ſui temere judicat. (i) Quia injuria Judicis eſſet, ſi ante cognitionem ejus, à ſervo procedat judicium, aut ſententia. (k)

(a) *Sap:* 1. *v.* 9. (b) *Apoc:* 7. *v.* 13. (c) *Ezech:* 21. *v.* 7. (d) 1. *Cor:* 5. *v.* 12. (e) *Pſal:* 74. *v.* 8. (f) *Deut:* 4. *v.* 36. (g) *Joan:* 21. *v.* 22. (h) *S. Bernardin:* T. 4. *ſer:* 28. *p.* 2. (i) *Manſi:* T. 42. *diſcur:* 4. *p.* 1. (k) *S. Ambr: in* 1. *Cor:* 4.

DIE XIX.

NOlite judicare ſecundum faciem. (a) Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis? (b) Ut quid cogitatis mala, in cordibus veſtris? (c) Propter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui judicas! In quo

enim alterum judicas, te ipſum condemnas: Eadem enim agis, quæ judicas. (d)

Malus homo judicat in alio, quod ſentit, in ſe ipſo. S. A.

REFLEXIO.

QUilibet homo judicat alterum, ſecundum ſe. Hinc *Eccleſiaſtes ait:* ſtultus in via ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes (*quos obvios habet*) ſtultos æſtimat. (e) Et quemadmodum ille, qui per vitrum viride proſpicit, omnia viridia apparent, qui per rubrum, omnia rubra: ſic ille, qui variis vitiis obrutus eſt, dum per ſuam conſcientiam, velut per ſpeculum proſpicit omnia, quæ in proximo videt, vitioſa eſſe judicat. Quibus accomodatur illud Apoſtoli dictum: *In quo alium judicas, te ipſum condemnas, & hoc ipſum facis, quod judicas facere alterum.* (f)

(a) *Joan:* 7. v. 24. (b) 1. *Cor:* 2. v. 11. (c) *Math:* 9. v. 4. (d) *Rom:* 2. v. 1. (e) *Eccl:* 10. v. 3. (f) *Rom:* 10. v. 1.

DIE XX.

NOlite ante tempus judicare, quoadusq; veniat Dominus, qui, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. (a) omnes enim ſtabimus ante Tribunal Chriſti. (b) Nolite ergo judicare, & non judicabimini. (c) In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. (d)

Judi-

Judicari non vis? te ipsum judicà. Drexel.

REFLEXIO.

AD te ipsum, o Christiane! oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. (e) Sunt enim aliqui, qui de omnibus male judicant, dicunt enim: si quis studet, aut vacat humilitati? *Hypocrita est.* Si recreationi? *gulosus est.* Si patientiæ? *timidus est.* Si justitiæ? *impatiens est.* Si simplicitati? *fatuus est.* Si maturitati? *phlegmaticus est.* Si jucunditati? *dissolutus est.* Si Religioni? Pietati? *Singularis est.* Si instet Vigiliis & orationibus? *Indiscretus est.* Si habet gratiam hominum? *adulator est.* hactenus *S. Gregorius.* (f) Caveat ergo quisq; sibi ab invidia, à qua, tàm perversum pullulascit judicium. (g)

(a) *1. Cor: 4. v. 5.* (b) *Rom: 14. v. 10.* (c) *Math: 7. v. 1.* (d) *Ibid; v. 2.* (e) *Gerson lib. 1. c. 14.* (f) *S. Greg: l. 26. moral.* (g) *S. Prosper.*

DIE XXI.

NOlite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. (a) Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magìs, ne ponatis offendiculum, Fratri, vel scandalum. (b) Qui enim judicat Fratrem suum, judicat legem. Si autem judicas tu legem, non es factor legis, sed judex. (c)

Vult fieri judex alienarum culparum, qui gravatur pondere suarum. S. Gregor.

REFLEXIO.

VÆ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentens amarum in dulce, & dulce in amarum. (d) Sæpè judicamus malum esse, quod in se non est malum, & peccamus per temeritatem, usurpando nobis judicia DEI, de occultis cordium. (e) In judicando alios, homo frustra laborat, sæpiùs errat, & facile peccat; seipsum vero judicando, semper fructuose laborat. (f)

(a) *Luc*: 6. *v*. 37. (b) *Rom*: 14. *v*. 13. (c) *Jacob* 4. *v*. 11. (d) *Isa*: 5. *v*. 20. (e) *S. Bonav*: *lib*: 1. *de Prof. Relig*. *c*. 1. (f) *Gerson l*. 1. *c*. 14.

DIE XXII.

QUousq; irruitis in hominem? [a) Ubi ergo concordia Fratrum, & amor proximorum? (b) Ut quid suspicamini montes coagulatos? (c) Mons, in quo beneplacitũ est habitare. (d) Nunquid cogitat malũ? {e] Sed scito, quia pro omnibus his, adducet te DEUS. in judicium. (f)

Non consideres mala, quæ alii faciunt, sed consideres bona, quæ tu facere debes. S. Bernard.

REFLEXIO.

QUuicunq; coram DEO, inter bonos, & religiosos Viros, numerari cupit; caveat, ne de quibuscunq; actionibus Fratris sui, sinistrum ferat judicium, sed credat omnia

rectô

rectô fine, & intentione, illum operari; studeatq; omnia facta, in partem optimam, interpretari. (g) Propterea nos *Apostolus* hortatur dicens: *Quid judicas Fratrem tuum? omnes stabimus ante Tribunal Christi.* (h) In quo tanto rigidus feremus judicium; quanto rigidiùs proximum quisq; judicaverit. Ad hunc scopum, videtur etiam collimare pius *Asceta* his verbis: *Quid ad te utrum ille sit talis, vel talis? aut iste sic, aut sic ait, vel loquitur? tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso, rationem reddes:* quid ergo te implicas? (i)

(a) *Psal: 61. v. 4.* (b) *Eccl: 25. v. 2.* (c) *Ps: 67. v. 17.* (d) *Ibid: v. 18.* (e) *1. Cor: 13. v. 4.* (f) *Eccl: 11. v. 9.* (g) *P. Abrah: à Clara tit. de judic.* (h) *Rom: 14. v. 10.* (i) *Gerson l. 3. c. 24. §. 1.*

DIE XXIII.

QUid judicas Fratrem tuum? (a) Nonne & ipse sperneris. (b) Nunquid qui laqueum alii ponit, non perribit in illo? (c) Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis. (d) Væ! qui cogitatis inutile. (e) Maledictus enim, qui clam percusserit proximum suum. [f]

Nonne iniquum est, ut quis de alio judicare velit, & de se ipso, judicare nolit. S. Aug.

REFLEXIO.

CAveamus judicare ea, quæ ad nos, minime

me

me ſpectant. Sed dicet forſan aliquis: Nõ judico de iis, quæ recta ſunt, & quæ mala non apparent; ſed tantum de his, in quib9 offenſa DEI relucet; cui reſpondetur: Nequaqũam licitum eſſe tale judicium. Hinc in ſimili ait S. Paulus: *Tu quis es, qui alienũ judicas ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* (g) Ac ſi diceret: qui non ſuum ſervum, ſed alienum, & ſi aperte delinquentem judicat, habere debet judiciariam poteſtarem delegatam à Domino, illius ſervi, quem judicat. Ergo ſi tu de aliorum peccatis fers judiciũ, quæro ex te? quis tibi hanc poteſtatem dedit? Fortaſſis creavit te DEUS judicem alterius? nequaquàm, ſed ſocium. *Solus Chriſtus conſtitutus eſt Judex peccatoris; Noli tu dignitatem Unigenti temerario impetu rapere ut judices alterum.* (h)

(a) *Rom:* 14. v. 10. (b) *Iſa:* 33. v. 1. (c) *Eccl:* 27. v. 29. (d) *Math:* 7. v. 2. (e) *Michea* 2. v. 1. (f) *Deut:* 27. v. 24. (g) *Rom:* 14. v. 4. (h) *S. Joan: Chryſoſt; Hom:* 45. *ſuper Math.*

DIE XXIV.

IN via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. (a) Noli facere ſtultitiam hanc. (b) Attende, ne ſeductus, in ſtultitia humilieris. (c) Igitur qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. (d)

Ergo

Ergo quod est justum, judicate. (e) Nam justus, ut palma florebit. (f)

Sic alios judica, ut ipse ab eis, judicare cupis. S. Isidorus.

AFFECTUS.

JUdica *Domine* judicium meum, & redime me. (g) Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer. (h) Qui autem judicat me, Dominus est. (i)

(a) *Eccl:* 10. *v.* 3. (b) 2. *Reg:* 13. *v.* 12. (c) *Eccl:* 13. *v.* 10. (d) 1. *Cor:* 10. *v.* 12. (e) *Deut:* 1. *v.* 16. (f) *Psal:* 91. *v.* 13. (g) *Psal:* 118. *v* 153. (h) 1. *Cor:* 4. *v.* 3. (i) *Ibid: v.* 4.

DIE XXV.

MEDITATIO XII.

De Mendacio.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? (a) Qui loquitur veritatem in corde suo. (b) Ecce quam bonus Isràël DEUS his, qui recto sunt corde! (c) Qui salvos facit rectos corde. (d) Rectis corde lætitia. (e) Quare, in simplicitate cordis, quærite Dominum. (f)

In eo, quod non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dii. S. Remigius.

REFLEXIO.

ESto in verbo verax, neminem mentiendo fallas, neminem mentiendo in errorem inducas, neminem mendacio fallente decipi-

as. (g) Sed imitare exemplum *S. Joannis Chrysostomi*, qui ex eo tempore, quô Christianorum Ritu ablutus est, nunquam juravit, nec alium jurare compulit, nulli unquam maledixit, nunquam mentitus est, sed semper in simplicitate cordis sui, quærebat DEUM. (h)

(a) *Psal: 14. v. 1.* (b) *Ibid: v. 3.* (c) *Psalm: 72. v. 1.* (d) *Psal: 7. v. 11.* (e) *Psal: 96. v. 11.* (f) *Sap: 1. v. 1.* (g) *S. Isidorus l. 2. de Syon c. 10.* (h) *Mozetus Cap: 191.*

DIE XXVI.

OMnis homo mendax. (a) A Propheta, usq; ad Sacerdotem, omnes faciunt mēdacium. (b) Vana locuti sunt unusquisq; ad proximum suum. (c) Væ homini duplici corde! (d) Nunquid Spiritus Sanctus non effugiet fictum? (e) Quia abominatio est Domini, omnis illusor. (f)

Mendacium in ore omnis hominis, peccatum est: in ore Religiosi, sacrilegium. S. Albert: M.

REFLEXIO.

VIde, ne te statim mendacio carere judices, si neminem verbo fallis. Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur. Mendacium namq; est, Christianum se, aut Religiosum dicere, & opera Christiani non facere. Mendacium est Sacerdotem, vel Cle-

ricum ſe profiteri, & omnia huic ordini operari. ſg) Quam multi ſunt hodie, quos magìs puderet in oratione feciſſe barbariſſimum, contra Regulam Priſcilliani, quàm protuliſſe mendacium in ſermone ſuo, contra Regulam Chriſti. ſh)

ſa) *Pſal: 115. v. 11.* ſb) *Gen: 8.* ſc) *Pſal: 21. v. 3.* ſd) *Eccl: 2. v. 14.* ſe) *Sap: 1. v. 5.* ſf) *Prov: 3. v. 32.* ſg) *S. Ambr: ſer: 44.* ſh) *Richar: à S. Vict: l. qui dicitur Beniamin minor Cap: 42.*

DIE XXVII.

NE confudaris dicere verum. ſa) Ante omnia verbum verax, præcedat te. ſb) Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt; non, non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. ſc) Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumq; abominabile eſt apud DEUM. ſd)

Sapientia juſtorum eſt nihil per oſtentationem fingere. S. Gregor.

REFLEXIO.

NUlla fere in re, magìs relucet Deitatis quædam ſpecies, & imago, quàm in rerum, ac verborum veritate, quod eſt juſtorum; & nulla re magìs receditur à DEO, & ſimilitudine DEI, quàm falſitate: Qua ſimilis homo redditur Patri mendaciorum ſatanæ. Ergo veritatis perpetuò tantùm ſtudium, & reverentiam prætefer, ut tuis ver-

bis

bis major sit fides, quàm aliorum juramentis. Nec lingvâ solum, sed & vitâ verax esto: Nam boni viri officium est, ita sese gerere, ut ejus mores plùs fidei, quàm aliorum dejurationes mereantur. (e)

(a) *Eccl: 4. v. 24.* (b) *Ibid: 37. v. 20.* (c) *Math: 5. v. 37.* (d) *Prov: 20. v. 10.* (e) *Isocrates ad Damon: pracept: 27.*

DIE XXVIII.

FIlii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mēdacium? (a) Vos ex Patre diabolo estis: & desideria Patris vestri vultis facere? Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. (b) Ah! maledictus dolosus. (c)

DEUS Pater genuit Filium. Diabolus lapsus genuit mendacium. S. Aug.

REFLEXIO.

O Nostri sæculi perditionem! O mundi pessimam corruptelam! O mundum mēdaciis & adulationibus plenissimum! Non est veritas in mundo; non est qui loquatur verum, cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur, fraus est, & adulatio. Docuerunt enim lingvas suas loqui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, mentiri adulari. Exigua attollere ex tumulis mon-

tes facere. *Si quis verax, ſi quis fidelis, & probus; ruſticus, & ſtupidus reputatur.* (d)

(a) *Pſal:* 4. *v.* 3. (b) *Joan:* 8. *v.* 44. (c) *Malach:* 1. *v.* 14. (d) *S. Thom: à Villanov: tr: de Adv: Dom.*

DIE XXIX.

NOli amare mendacium adverſus Fratrem tuum, neq; amicum ſimiliter facias. (a) Eſto vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. (b) Quia amico fideli, nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius. (c) Qui autem decipit juſtos, in interitu corruet. (d)

Quis decor eſſe poteſt, ubi violatur fides? S. Ambr:

REFLEXIO.

SUnt qui verum dicant tunc, cùm aliquid commodi aſpirat, aut neceſſitas urgeat. Sed hoc non eſt veracem eſſe: Nam veritas, eſt virtus dicendi verum, amore veritatis provocatà. (e) Si vis ineſſe verbis tuis conſtantiam, nihil opus memoriâ, aut arte aliâ, quàm, ut dicas ſemper, quod credis verum eſſe. Unde hoc? *quia verum vero conſentiens: falſum nec vero, nec falſo.* (f)

(a) *Eccl:* 7. *v.* 13. (b) *Joan:* 1. *v.* 47. (c) *Ec:* 6. *v.* 15. (d) *Prov:* 28. *v.* 10. (e) *Engelbertus Ab: ſpecul. virt: part:* 10. *Cap:* 7.

DIE

DIE XXX.

NOli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius, non est bona. (a) Os autem quod mentitur, occidit animam. (b) Qui loquitur mendacia, peribit. (c) Omnibus mendacibus, pars illorum erit, in stagno ardenti igne, & sulphure. (d) Opprobrium nequam, in homine mendaciū. (e)

Mendaces faciunt, ut & vera dicentibus non credatur. S. Hieron.

REFLEXIO.

HOc lucri habent mendaces, ut etiam vera dicentibus non credatur. Mores hominum mendacium sine honore; & confusio eorum cum ipsis, sine intermissione. (f) Etiam mendax mendacem odit. *DEUS Christus veritas est.* (g) Christum abnegavit, qui veritatem. *Sed* perdet omnes, qui loquuntur mendacium. (h) *Qui autem quærit gloriam DEI, hic verax est.* (i)

(a) *Eccl: 7. v. 14.* (b) *Sap: 1. v. 11.* (c) *Prov: 19. v. 9.* (d) *Apoc: 21. v. 8.* (e) *Eccl: 20. v. 26.* (f) *Ibid: v. 28.* (g) *Joan: 14. v. 6.* (h) *Psal: 5. v. 7.* (i) *Joan: 7.*

DIE XXXI.

NEquis supergrediatur, neq; circumveniat in negotio Fratrem suum. (a) Nam nō inveniet fraudulentus lucrum. (b) Qui nititur

titur mendaciis, hic paſcit ventos. ſc) Sitis ergo ſinceri, & ſine offenſa, in die Chriſti. ſd) Qui peccatum non fecit, non eſt inventus dolus, in ore ejus. ſe)

Rerum omnium potentiſſima eſt veritas, & extrema malitiæ linea mendacium. S. Baſil.

AFFECTUS.

SCio DEUS meus, quia probes corda, & ſimplicitatem diligas. ſfj Quapropter vanitatem, & verba mendacia, longè fac à me. ſgj

ſa) *1. Theſſal: 4. v. 6.* ſb) *Prov: 12. v. 27.* ſc) *Ibid: 10. v. 4.* ſd) *Philip: 1. v. 10.* ſe) *1. Petri 2. v. 22.* ſf) *1. Paralip: 29. v. 17.* ſg) *Prov: 30. v. 8.*

APRILIS

DIE I.

MEDITATIO XIII.

De Diſcordia.

UNde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? ſaj Nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? ſbj Quomodo ergo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ſcj Nunquid malus homo, de malo theſauro non profert mala? ſdj

Unde iſta inter Fratres diſcordia, qui licet unius uteri, non ſunt unius animi? S. Aug.

RE-

R E F L E X I O.

JUbet Christus ne litigemus; quis jubenti obtemperat? Non solum jubet, sed in tantùm hoc jubet, ut ea ipsa, nos, de quibus lis est relinquere jubeat, dummodo litibus exuamur. (e) Ubi enim rixæ, & contentiones, non potest esse perfecta Religio. (f) Ubi non est JESUS, ibi seditiones, & lites, & prælia sunt. (g) Quia non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. (h) Respice volatilia Cœli, respice bestias agri, attende pisces in mari, non tantum divisionem in eis invenies, sicut in hominibus esse potest. (i)

(a) *Jacob 4. v. 1.* (b) 1. *Cor: 3. v. 3.* (c) *Math: 12. v. 34.* (d) *Ibid: v. 35.* (e) *Salvian: lib. 3. de Gubern. DEI.* (f) *S. Bernard: serm: 17. ad Soror: vol: 2.* (g) *Origenes tract: 31. in Math: 27.* (h) *S. Aug: de Verbo DEI ser: 57.* (i) *S. Bonavent: serm: 29. Dom: infra oct: Epiph.*

DIE II.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum. (a) Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. (b) Bonum autem æmulamini, in bono semper. (c) Donec formetur Christus in vobis. (d) Utiq; DEUS non est discordiæ, sed pacis. (e)

Discordare cum homine, est discordare cum DEO,

DEO, qui fecit hominem. Vide an hoc tibi tutum sit?

REFLEXIO.

QUousq; igitur rixantur inter se, homines Patres & Filii; homines Fratres, & sorores; homines mariti & uxores? homines Cives, & incolæ? homines Presbyteri, & Monachi? (f) Elaborate potiùs inter vos, contentione laudabili, ac æmulatione meliori, ut cæteris quis vestrum, in opere DEI sit promptior, quis in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in ira mitior, in charitate sit jucundior. (g) Nam ubi amicorum discordia est, ibi DEUS minime habitat. (h) Qui ab unitate dividitur, ne dubites, quin ab eo recesserit spiritus vitæ. (i)

(a) *Psal*: 132. *v*. 1. (b) 2. *Timot*: 2. *v*. 14. (c) *Galat*: 4. *v*. 18. (d) *Ibid*: *v*. 19. (e) 1. *Cor*: 4. (f) *Vives Introd*: 393. (g) *S. Eusebius Hom*: 9. *ad Monach*. (h) *S. Ignat*: *Ep*: *Mart*: *Epist*: 9. *ad Philip*. (i) *S. Bernard*: *in Festo S. Mich*.

DIE III.

SEx sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. (a) Qui seminat inter Fratres discordias. (b) Qui meditatur discordias, diligit rixas, & qui exaltat ostium, quærit ruinam. (c) Quoniam qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.

tur. (d) Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. (e)

Quidquid capit diviſionem, & interitum capiat neceſſe eſt. Lactant.

REFLEXIO.

NOn contendas adverſus hominem fruſtra, cum ipſe tibi nihil malifecerit. (f) Hoc fatuorum eſt, & vitiligatorum, & maligni animi hominum. Quibus nondum ſatis occaſionum eſt ad diſcordias; niſi eas ultro eruant, & accerſant. *Servum enim Domini ad omnes manſvetum oportet eſſe, non litigare.* (g) Quia diſcordiæ, & odii ignem incendentes, excluduntur à Conſortio Sanctorum, ſicut incendarii excluduntur per excommunicationem à coſortio Fidelium. (h)

(a) *Prov: 6. v. 16.* (b) *Ibid: v. 19.* (c) *Ibid: 17. v. 19.* (d) *Gal: 5. v. 21.* (e) *Ibid: 6. v. 7.* (f) *Prov: 3. v. 30.* (g) *2. Tim: 2. v. 24.* (h) *Geminian: lib: 8. cap: 18.*

DIE IV.

SErvum Domini non oportet litigare. (a) Et ſi quis non obedierit, hunc notate. (b) Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem. (c) Et ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. (d) Et ſi ſepties in die peccaverit, in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens; pœnitet me, dimitte illi. (e) Itaq; quæ paucis ſunt ſectemur. (f) *Nun-*

Nunquam servari concordia, nisi per solam paatientiam valet. S. Greg:

REFLEXIO.

REctum est autem etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamèn gravitatem retinere, iracundiam repellere, & recordari nos Christianos esse; quos oportet versari, sicut oves in medio luporum, & percutienti maxillam præbere & alteram. Ne quid indignum doctrina Christi, & exéplo committamus, qui coram omnibus maledictoribus suis tacuit, sicut ovis coram tondente se. ſg]

ſa] *2. Tim: 2. v. 24.* ſb] *2. Thessal: 3. v. 14.* ſc] *Ibid: v. 15.* ſd] *Luc: 17. v. 3.* ſe] *Ibid: v. 4.* ſf] *Rom: 14. v. 19.* ſg] *S. Isidor: lib. 1. c. 12. ad Relig.*

DIE V.

STultus verba multiplicat. ſa] Et omni tempore jurgia seminat. ſb] Vir autem sapiens, si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. ſc] Nonne expedit magìs ursæ occurrere raptis fætibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua? ſd] Qui tetigerit picem, inquinabitur in ea. ſe]

Plane victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere provocanti S. Valerianus.

REFLEXIO.

NE contra faciem stes contumeliosi; non

ſedeat

sedeat quasi insidiator ori tuo. (f) Quem enim fructum habebis, nisi sordes honoris, & peccata conscientiæ? Qui enim se furfuribus miscet, porcis pabulo fit. Qui lutum calcaverit, luto aspergitur. Ut quisq; contemptissimus, & ludibrio est, ita solutissimæ lingvæ est. (g)

(a) *Eccl: 10. v. 14.* (b) *Prov: 6. v. 14.* (c) *Ibid: 29. v. 9.* (d) *Ibid: 17. v. 12.* (e) *Eccl: 13. v. 1.* (f) *Eccl: 8. v. 14.* (g) *Seneca de Constant: sap: cap: 11.*

DIE VI.

NOlite fraudere invicem. (a) Ubi enim zelus, & contentio est, ibi & inconstantia, & omne opus pravum. (b) Nunquid omne Regnum in se divisum, non desolabitur, & domus supra domum non cadet? (c) Nam domus divisa, contra se, non stabit. (d) Abstine te à lite, & minues peccata. (e)

Filii DEI vocantur, qui pacem faciunt; satanæ filii, qui confundunt. S. Greg. Nazian.

REFLEXIO.

POtes si vis, filius DEI, pacem faciens, & mansvetus esse. (f) Potes non esse fera; potes homo esse. Feræ ad rixas videntur natæ, quas ipsa natura armavit ungulis rostris, cornu, dente, veneno. Homo inermis ad nihil minus, quàm ad rixas nascitur.

Potes

Potes esse quod natus es. [g] Scito, quia *multi ceciderunt in ore gladii*, sed non sic, quasi qui interierunt per lingvam suam. [h] *Ne temerè quid loquaris, neq; cor tuum sit velox, ad proferendum sermonem coram DEO: DEUS enim in Cælo, & tu super terram. Idcirco sint pauci sermones tui, si vis esse Filius DEI.* [i]

[a] *1. Cor: 7. v. 5.* [b] *Jacob 3 v. 16.* [c] *Luc: 11. v. 17.* [d] *Math: 12. v. 25.* [e] *Eccl: 28. v. 10.* [f] *S. Chrysost: Hom: 9. Genes.* [g] *Vives C. 5. de Discordia.* [h] *Eccl: 28. v. 22* [i] *Eccl: 5. v. 1.*

DIE VII.

HOnor est homini, qui separat se, à contentionibus. [a] Rogo autem vos Fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula faciunt, & declinate ab illis. [b] Certamen enim festinatum, incendit ignem, & lis festinans, effundit sangvinem, & lingva testificans, adducet mortem. [c]

Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia. S. Ambr.

REFLEXIO.

MAgna laus est, si homo mansvetus homini est. [d] O quam parum ego homo sum! Nunquam feras ad nocendum nisi necessitas inigit; aut fame, aut timore coguntur, ad nunquam: Homini perdere hominē libet. [e] Ludus, scena, jocus, recreatio est, cum contrà animo humano parum esse

debe-

debeat, inimicitias hominum nec excitare, nec augere, male loquendo, vel faciendo; nisi eas extingvere bene loquendo, vel faciendo studuerit. (f)

(a) *Prov: 20. v. 3.* (b) *Rom: 16. v. 17.* (c) *Eccl: 28. v. 13.* (d) *Seneca Epist: 95.* (e) *Idem Epist: 101.* (f) *S. Aug: 9. Confess.*

DIE VIII.

NOn litiges cum homine lingvato. (a) Homo enim iracundus incendit litem. (b) Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. (c) Quare, quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. (d)

An potentior te, aut imbecillior læsit? si imbecillior? parce illi; si potentior, tibi. Seneca.

AFFECTUS.

ERipe me Domine ab homine malo, & à viro iniquo. (e) Quoniam tu es liberator meus. (f)

(a) *Eccl: 8. v 4.* (b) *Eccl: 28. v. 11.* (c) *Eccl. 8. v. 1.* (d) *Prov: 25. v. 8.* (e) *Psal: 139. v. 1.* (f) *Psalm: 30. v. 5.*

DIE IX.

MEDITATIO XIV.

De Vanitate Mundi.

FIlii hominum, ut quid diligitis vanitatem?

tem? (a) Surgite, & ite, quia non habetis hìc requiem. (b) Tempus breve est, reliquum est. (c) Ut & qui utuntur hoc mũdo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. (d) Mundus transit, & concupiscentia ejus. (e)

Non vis relinquere mundum? relinquet te mundus. S. Aug.

REFLEXIO.

RElinque mundum, & sequere JESUM. Nam in mundo transeunt omnia, evolant omnia, & sicut fumus evanescunt. Noli itaq; in ejus amorę anchoram cordis figere, quem sic ad finem conspicis declinare? præsertim cum *Apostolus* clamet: Quod amicitia hujus mundi inimica sit DEO. Lætitia enim sæculi, vanitas est, cum expectatione spectatur, ut veniat, & non potest teneri; iste dies, qui lætus est, cras utiq; non erit. (f)

(a) *Psal*: 4. v. 3. (b) *Mich*: 2. v. 10. (c) 1. *Cor*: 7. v. 29. (d) *Ibid*: v. 37. (e) 1. *Joan*: 2. v. 17. (f) *S. Aug*: *ser*: 13. *de die judicii tract*: 7. *in Joan*.

DIE X.

USquequo clauditis in duas partes. Si Dominus est DEUS, sequimini eum. Si autem Baal *mundus*, sequimini illum. (a) Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.

get. (b) Sed unum necessarium. (c) DEUM itaq; time. (d) Et ipsi soli servies. (e)

Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ detrimentum. S. Eucherius.

REFLEXIO.

O Cæcitas mortalium! o hominum dementia! Verè verè stultorum infinitus est numerus. Recte exclamat *S. Bernard: Mundus clamat ego deficio; diabolus clamat ego decipio; Christus clamat ego reficio: Et tamen superba mens nostra, magìs vult sequi deficientem mundũ, quàm reficientem Christum.* An non hæc summa fatuitas? cave ergo ne quondam in fine vitæ tuæ à mundo illudaris, & ab eo in inferni abyssum demergaris. (f)

(a) *3. Reg: 18. v. 21.* (b) *Math: 6. v. 24.* (c) *Luc: 10. v. 42.* (d) *Eccl: 12. v. 13.* (e) *Deut: 6. v. 13.* (f) *S. Bernard. in ser: Ecce nos reliquimus.*

DIE XI.

NOlite conformari huic sæculo. (a) Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. (b) Tu autem ô homo DEI, hæc fuge. (c) Nemo enim militans DEO, implicat se negotiis sæcularibus. (d)

Si delectat te mundus, immundus es, quia vis semper esse in mundo. Gerson.

R E-

R E F L E X I O.

HAnc mundi fallaciam ſuæ mentis obtutu intime reſpexit *Doctor Gentium S. Paulus*: Quamobrem ad Philippenſes ait: *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucri faciam.* Merito itaq; omnia mundi bona contemnenda ſunt, cùm Apoſtolus ea, ut ſtercora arbitrerur. Vivimus in mundo, ſed non mundamur ab illo. Et nos immundos quis? niſi munde facis.

(a) *Rom: 12. v. 2.* (b) 1. *Joan: 2. v. 16.* (c) 1. *Tim. 2. v. 11.* (d) 2. *Tim: 2. v. 4.*

D I E XII.

VAnitas vanitatum, & omnia vanitas. (a) Nam omnis caro fænum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri. (b) Et tanquàm ſpuma gratilis, quæ à proceſſo diſpergitur, & tanquàm fumus, qui à vento diffuſus eſt. (c) Ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. (d) Quare, nolite declinare poſt vana. (e)

Mundus ſola oculorum deceptio eſt; & priùs quàm appareat avolat. S. Chryſoſt.

R E F L E X I O.

NOlite mundum diligere ô amatores mundi, occinit *S. Auguſtinus*: Non eſt requies, ubi quæritis eam, quærite quod quæritis: Beatam vitam quæritis in regione mortis? non eſt ibi; quomodo enim beata vita, ubi

ubi non est vita. (f) Difficillimè imo impossibile est, ut præsentibus, quis, & futuris, fruatur bonis, ut à deliciis transeat ad delitias, & in utroq; sæculo primus sit. (g)

(a) *Eccl: 1. v. 2.* (b) *Isa. 40. v. 6.* (c) *Sap: 5. v. 15.* (d) *Eccl: 1. v. 14.* (e) *1. Reg: 12. v. 21.* (f) *S. Aug: l. 4. Conf c. 12. C. 2.* (g) *S. Hieron: in Epist.*

DIE XIII.

NOlite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. (a) Exite indè, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini. (b) Qui autem sunt Christi, carnē suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. (c)

Non potest quis amare, quod æternum est, nisi destiterit amare, quod temporale est. S. Aug.

REFLEXIO.

QUàm stultè ergò agunt homines illi, qui relicto optimo, & æterno DEO, mundo adhærent, præsertìm cùm omne, *teste S. Joanne:* quod in mundo est, concupiscentia carnis sit, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. (d) quæ omnia hominem ad infernales rogos præcipitem agunt. Fugiendus igitur mundus, quoniam malè su-

os amatores remunerat, quos in æternum damnat. [e]

[a] 1. *Joan:* 2. *v.* 15. [b] *Isa:* 52. *v.* 11. [c] *Galat:* 5. *v.* 24. [d] 1. *Joan:* 2. *v.* 16. [e] *S. Isidor: de vanit: C.* 2.

DIE XIV.

MUndus totus in maligno positus. [a] Omnis quippè caro, corruperat viam suam, super terram. [b] Fugite de medio Babylonis. [c] Exite de illa, & ne participes sitis, delictorum ejus, & de plagis ejus, non accipiatis. [d] Recedite, recedite. [e]

Vis non esse inimicus DEI, noli esse amicus mundi. S. Aug.

REFLEXIO.

QUid est DEUS, quem deserunt? *Nonne fons omnis boni, animæ nostræ centrum, vera cordis nostri quies, & actus bonitatis purissimus?* Quid est mundus, quem amant? *Nonne carcer vivorum, sepulchrum mortuorum, officina vitiorum spretor virtutum, & rationis ad DEUM dirigentis carnifex?* Et tamen magis adhærēt mundo, quam Christo. O cæcitas terribilis filiorum Adam! [f] Auscultate ergò ô amatores mundi, Joannem, vobis sic occinentem; *Mundus transit, & omnis concupiscentia ejus.* [g] Dicite quæso, quod vultis, utrum amare temporalia, & transire cum

tem-

tempore; an Christum amare, & in æternũ vivere? Respondebitis forsan utrumq; vos amare: at miseri, fallimini Christus enim dicit: *Nemo poteſtis duobus Dominis ſervire &c.* (h) Necesse est ergo cupienti Christo servire, ut omnem creaturarum amorem, è penetrabili cordis sui eliminet. (i)

(a) 1. *Joan:* 5. *v.* 19. (b) *Gen:* 6. *v.* 12. (c) *Jerem:* 51. *v.* 6. (d) *Apoc:* 18. *v.* 4. (e) *Isa:* 52. *v.* 11. (f) *P. Abrah: à S. Clara ſerm:* 31. *num:* 6. *p.* 1. (g) 1. *Joan:* 2. *v.* 17. (h) *Math:* 6. *v.* 24. (i) *P. Abrah: à S. Clara ſer:* 31. *num:* 6.

DIE XV.

FAc tibi Cultros lapideos, & circumcide. (a) *Hoc eſt:* Multa desideria, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. (b) Radix enim omnium malorum, est cupiditas. (c) Quare, spiritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis. (d) Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. (e)

Ad Imaginem DEI facta eſt anima rationalis, cæteris rebûs occupari poteſt, repleri non poteſt. S. Bernardus.

REFLEXIO.

VAnus est mundus, quoniam eos, quos amatores tolerat, morientes minimè salvat. (f) Ecce jam mundus in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris, floret; ubiq;

biq; amaritudine replemur, & tamen cæcâ mente ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus; Et quia labantem retinere non possumus cum ipso labimur. (g) Meritò igitur fallacis mundi amatoribus occinit S. Bernardinus: *Ecce tot calamitatibus replevit DEUS mundum: ecce amarus est mundus, & sic amatur; ecce sic ruinosus est & habitatur; Quid faceremus, si stabilis, & dulcis esset? O munde immunde, & tenebrîs plene, si transiens sic detines, quid faceres, si maneres? Si amarus sic decipis, quem non deciperes si dulcis esses?* (h)

(a) *Josua 5. v. 2.* (b) *1. Tim: 6. v. 9.* (c) *Ibid: v. 10.* (d) *Gal: 5. v. 16.* (e) *Rom: 8. v. 19.* (f) *Joan: Trith.* (g) *S. Greg: Hom: 28.* (h) *S. Bernard: l. 1. de contemptu mundi Art: 3. C. 1.*

DIE XVI.

QUæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. (a) Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est, cum Christo in DEO. (b) Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. (c) Nisi enim granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. (d)

Quid vagaris o homuncio! quare unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit. S. Ansel. (a)

A F-

AFFECTUS.

DOmine Pater & DEUS vitæ meæ. (e) Omne desiderium averte à me. (f) Quia mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. (g) Vanitate enim seducti sumus, & concustodivimus mandatum tuum. (h)

(a) *Colloss: 3. v. 2.* (b) *Ibid: v. 3.* (c) *Ibid: v. 5.* (d) *Joan: 12 v. 24.* (e) *Eccl: 23. v. 4.* (f) *Ibid: v. 5.* (g) *Gal: 6. v. 14.* (h) *2. Esdra 1. v. 7.*

DIE XVII.

MEDITATIO XV.

De mala societate.

ATtendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. (a) A fructibus eorum, cognoscetis eos. (b) Ex abundatia enim cordis os loquitur. (c) Cavete igitùr, ne forte decipiatur cor vestrum. (d)

Socios malos si sequeris, vide quid consequaris? idem cum ipsis exitium. S. Bernardus.

REFLEXIO.

FUgienda est insipientium societas, etsi aliqua generis copulentur necessitudine. Noxiæ sunt enim cum insipientibus societates, & inficiunt sobriam mentem, ac decolorant. (e) Si vis ergo bene vivere, malorum societatem devita. (f) Quia

mala

mala societas in Cœlo perdit gloriam, in mundo addit culpam, in inferno cumulat pœnam. (g) Declina malam societatem quantum potes. Sed quæ indicia pravi socii? Nolim ea depingere omnino. Sed attende: ex volatu cognoscitur avis, è pennis, & è cantu: Malum socium agniturus attede 1. quorsum aut quibuscum soleat ambulare, vel conversari. 2. Quos mores gerat? modestos an petulantes? Leves an humanos? 3. Sermo lascivus aut lubricus, nimium nugax &c. classicum tibi sit ad ineundam à tali homine fugam. (h)

(a) *Math: 7. v. 15.* (b) *Ibid: v. 16.* (c) *Luc: 6. v 45.* (d) *Deut: 11. v. 16.* (e) *S. Ambr: l. 1. Epist: 4. ad Iraneum.* (f) *S. Aug: ser: 6. ad Sor.* (g) *S. Bonavent: sar: 3. Dom: 3. post Epiph.* (h) *P. Anselm. Desing: Cap: 155. num: 2.*

DIE XVIII.

SI lactaverint te peccatores, ne acquiescas eis: (a) Si dixerint: veni nobiscum: ne ambules cum eis. (b) Prohibe pedem tuum à semitis eorum: quoniam pedes illorum ad malum currunt. (c) Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. (d)

Fuge personas, in quibus potest malæ conversationis esse suspicio. S. Hieron.

REFLEXIO.

CUm his versari debemus, qui nos meliores facturi sunt, & à quibus aliqua cōmendatio ingenii, ac virtutis, ad nos pervenire potest. (e) Sicut enim mala nocet societas, ita bona prodest, nihil potest huic comparari thesauro, qui bonam invenit societatem, vitam invenit divitiis affluentem. (f) Juvat multum bona societas, colloquens de DEO, sed multo magis nocet mala societas, fabulans de mundo. (g) Associant similes natura DEUSq;.

Cum paribus pares habitant vivuntq; libenter. (h)
Corrumpunt etiam Sanctos commercia prava. (i)

(a) *Prov:* 1. *v.* 10. (b) *Ibid:* 1. *v.* 15. (c) *Ib:* *v.* 16. (d) *Isa:* 3. *v.* 12. (e) *S. Chrysost:* *c.* 2. (f) *S. Euseb: Cæsar: Epist: ad Damascen: Pap.* (g) *Thoma Kemp: in Hosp: paup: c.* 9. (h) *Paling.* (i) *Idem.*

DIE XIX.

NOli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso. (a) Quia cum perverso perverteris. (b) *Sed* cum viro sancto assiduus esto, quemcunq; cognoveris observantem timorem DEI. (c) Quia cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. (d)

Tales habeto socios, quorum consortio non infameris. S. Hieron.

RE-

REFLEXIO.

QUi Sancto Viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplô operis accipit; ut accendatur in amorem virtutis, & veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, & in desiderio Divinæ lucis inardescit. (e) Quemadmodum enim svavia aromatorum odoramenta, proprium per àéra, & continentem emittunt odorem, quô præsentes recreantur; ita Viri justi societas, sibi commorantium contubernio salutaris est, ac jucunda. (f) Quia semper similia similibus conveniunt; Monachum Monachis, Clericum Clericis, Laicum Laicis cohabitare. (g)

(a) *Prov: 22. v. 24.* (b) *Psal: 17. v. 27.* (c) *Eccl: 37. v. 15.* (d) *Psal: 17. v. 26.* (e) *S. Greg: Hom: 5. super Ezech.* (f) *S. Basil: in Psal: 132.* (g) *S. Petr: Maur: Abb: Cluniac: l. 1. Ep: 16. ad Pontium.*

DIE XX.

OMnis homo simile sibi sociabitur. (a) Qui enim cum sapientibus graditur, sapiens erit; Amicus stultorum similis efficietur. (b) Quarè subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinate. (c) Ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ. (d)

Qui cum pejoribus conversari appetit, satis se depravatum ostendit. Hugo Victorinus.

RE-

REFLEXIO.

UNum est, pro quo societas malorum vitari debet; ne si forte corrigi non valeant, ad imitationem trahant, & cum ipsi non mutentur, eos qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. (e) Subtrahe pedem tuum de Domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. (f) Familiaritas enim cõtemptum, contemptus autem odium parit; Quia exinde infamiam tibi nutris, si indignis te sociaveris: Melius est malorum odium habere, quam consortium. (g)

(a) *Eccl. 13. v. 20.* (b) *Prov: 13. v. 20.* (c) *2. Thessal. 3. v. 6.* (d) *Prov: 22. v. 25.* (e) *S. Grego: t. 1. Ep: 2.* (f) *Prov: 25. v. 17.* (g) *S. Isidor. lib: 2. de synon.*

DIE XXI.

REcedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. (a) Qui enim tetigerit picem inquinabitur in ea: & qui communicaverit superbo, induet superbiam. (b) Egredimini ergo de Babylone, fugite à Chaldeis. (c)

Versari inter spinas, & minimè lædi Divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. S. Bernardus.

REFLEXIO.

SI tam multos Sanctos Viros, incauta familiaritas mulierum, atq; pravorum socio-

ciorum, pernitiosa blandimenta sviceruut, quid de se cogitant illi? qui cum mulierib9, non solum conversari, sed etiam in una domo manere, & convivio earum, aut semper, aut frequenter interesse, nec metuunt, nec erubescunt? (d) Quis enim mortalium, juxta viperam, securos somnos capit? (e) Utiq; nemo bonus, securè cum malis habitat. (f) Ad ignem potiùs ardentem, quam ad mulierem juvenem, juvenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus, celeriter resilies; at si fœminæ verbis incensus fueris, haut ita facile recedes. (g)

(a) *Num: 16. v. 26.* (b) *Eccl: 13. v. 1.* (c) *Isa: 48. v. 20.* (d) *S. Aug: Hom: 21. ex 50.* (e) *S. Hier: Epist. 147.* (f) *S. Laur: Just: de Triumph: Chr: c. 6.* (g) *S. Nilus Abb: orat: 2. de luxuria.*

DIE XXII.

NOli manducare, & bibere cum peccatoribus. (a) Tales enim Christo Domino nostro non serviunt; sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones, seducūt corda innocentium. (b) Quid communicabit cacabus ad ollam, quando enim se colliserint confringetur. (c)

Meliùs est habere malorum odium, quàm consortium. S. Isidorus.

RE-

REFLEXIO.

CUm malis hominibus, nulla tibi ſit connexio, ſi non vales, Dominô miſerante, eos ab errore ſuo revocare. (d) Nihil æquè exitiale, nihil æquè noxium eſt, quàm pravorum hominum conſvetudo. Nam quidquid vis, aut neceſſitas poteſt, hoc ipsũ quoq; valet amicitia, & familiaritas, idquè tàm in rebus turpibus, ac flagitioſis, quàm in honeſtis, & ſalutaribus. (e) Cave ergo familiaritatem eorum, qui imitandi non ſunt, quamvis in Chriſto diligendi. (f) Quia nimia familiaritas, quam habent mulieres cum Perſonis Spiritualibus, (*& ſi pura intentione*) niſi magno rigore gubernetur, in ſenſualem amorem convertitur. (g)

(a) *Tob*: 4. v. 18. (b) *Rom*: 16. v. 18. (c) *Eccl*: 13. v. 3. (d) *S. Aug*: *de ſalut*: *Docũ*: c. 44. (e) *Victor Antioch ád C*. 9. *Marci*. (f) *Gerſon l*. 1. *de Imit*: c. 8. (g) *S. Anton*: p. 1. t. 6. c. 2. § 2.

DIE XXIII.

NE æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis. (a) Quia abominantur impii eos, qui in recta ſunt via. (b) Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ, jungas amicitias. (c) Colloquia enim mala, corrumpunt mores bonos. (d) Modicum fermentum, totam maſſam corrumpit. (e)

Boni nominis ac famæ colorem amittit, qui socios, tàm dilutæ probitatis admittit. Drexel.

REFLEXIO.

CUm malis sociis agendum est, quemadmodum cum ignitis carbonibus, quos neq; nuda manus prehendit, sed armata. Armîs opus est, contra mala. *Secundum virtutem tuam cave te à proximo tuo, & cum sapientibus, & prudentibus tracta.* (f) *Quia cum viro innocente innocens eris, & cum perverso perverteris.* (g) Nam qualis unusquisq; est, tales etiam socios diligit; devotus devotū, pudicus pudicum, Sanctus Sanctum, vagus vagum, dissolutus quærit dissolutum. (h)

(a) *Prov: 24. v. 1.* (b) *Ibid: 29. v. 27.* (c) *Exodi 34. v. 12.* (d) *1. Cor: 15. v. 33.* (e) *Gal: 5. v. 9.* (f) *Eccl: 9. v. 21.* (g) *Psal: 17. v. 1. & 2.* (h) *Thom: à Kemp: de Discipl: Claustr: c. 15.*

DIE XXIV.

QUis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? Sic & qui commitatur cum viro iniquo, & absolutus est in peccatis ejus? (a) Attendite à fermento Pharisæorū. (b) Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. (c)

Bona multa habet communis vita Sanctorum, sic plurima mala affert societas malorum. S. Isidorus.

AF-

AFFECTUS.

DIſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. (d) Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus, non introibo. (e]

(a] *Eccl: 12. v. 13.* (b] *Luc: 12. v. 1.* (c) *Eccl: 7.* (d] *Pſal: 6. v. 9.* (e) *Ibid: 25. v. 4.*

DIE XXV.
MEDITATIO XVI.
De Scandalo.

VÆ mundo à ſcandalis! (a) Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Nomen Domini, propter verbum hoc, Filius (*Chriſtus*) qui natus eſt tibi, morte (*in te*) morietur. (b) Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. (c) Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. (d)

Qui ſunt inimici Eccleſiæ? Pagani, Judæi; omnibus his, pejus vivunt mali Chriſtiani. S. Au:

REFLEXIO.

ORamus ſæpe contra inimicos Eccleſiæ, ut exurgat DEUS, & deſtruat eos in finem. (e) Sed ego exhorreſco has preces. Interrogat *S. Auguſtinus: Qui ſunt iſti inimici? Ecce mali Chriſtiani. Portantes Sanctum Nomen ad pænam ſuam.* (f) *Fundentes Sanctã Orationem in ruinam ſuam. Orant deſtrui Eccleſiæ inimicos, & ipſi ſunt inimici; quarè? quia propter mores pravos, derogant Fidei* (g]

(a) *Math: 18. v. 7.* (b) *2. Reg: 12. v. 14.* (c) *Math: 18. v. 7.* (d) *Ibid: 26. v. 24.* (e) *Ps: 43. & Psal: 67.* (f) *S. Aug: serm: 18. de Verb; Dom.* (g) *Hugo Card: in Psalm: 30.*

DIE XXVI.

VÆ vobis Scribæ, & Pharisæi, Hypocritæ, qui clauditis Regnum Cœlorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. (a) Mittet Filius Hominis Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis. (b)

Pro tantis reus quisq; est, quantos traxerit ad reatum. Salvianus.

REFLEXIO.

ECce amici tui DEUS, & proximi adversum te appropinquaverunt, & steterunt: Inique enim agunt, & cæteri contra Christum, multiq; sunt nostris temporibus Antichristi; meritò tamen & crudeliorem eam censet persecutionem, pro acceptis beneficiis, & graviorem sentit pro potestate, quā propriis sustinet à ministris. (c) An vero Salvatori animarum gravior ulla poterat esse persecutio, quam si nimirum animarū salus impugnetur scandalis? (d)

(a) *Math: 23. v. 13.* (b) *Ibid: 13. v. 41. & 42.* (c) *S. Bern: ser: 1. Convers: S. Pauli.* (d) *Ibid.*

DIE XXVII.

VIdete, ne (forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. (a) Videte, ne contemnatis unum, ex his pusillis. (b) Qui enim scandalizaverit unum, de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. (c)

Plùs ille peccat, qui ad peccandum impulit, quàm qui peccavit. Origenes.

REFLEXIO.

SCandalum dare, & alium ad peccatum inducere, gravissimum est peccatum. Si sangvis *Abel* sic ad DEUM vociferabatur contra eum, qui corpus occidit; quantò magìs clamabit, infelix anima, contra illũ, à quo fuit occisa, & cujus causa gratiæ vitam per scandalum perdidit. (d) Perdis enim proximum scandalizando; sed quod est pessimum, perdis te ipsum cum ipso peccando. (e) O homines! vobis mandavit unicuiq; DEUS de proximo suo. (f) Ne animæ offendiculum cuicunq; ponatis: addidit promissa, si hoc servaretis: addidit horribiles minas, si hoc negligeretis. Quid facitis? En diabolus custodit animas; Christianus perdit animas. Si sic agitur, quis non mallet animam suam à diabolo, saltem custodiri, quàm etiam à Christiano perdi. (g)

(a)

(a) *1. Cor: 8. v. 9.* (b) *Math: 18. v. 10.* (c) *Ibid: v. 6.* (d) *Diez. Conc: 1. de S. Mich:* (e) *S. Bonav: serm: 3. Fer: 3. Pent.* (f) *Eccl: 17. v. 12.* (g) *De sing: C. 27. §. 262. num: 4.*

DIE XXVIII.

QUid hoc audio? (a) Si adhuc Sacerdos, qui unctus est peccaverit, delinquere faciens populum. (b) Nunquid non peribit infirmus in conscientia tua Frater? propter quem Christus mortuus est? (c) Væ! qui devorant plebem meam, sicut escam panis. (d) Maledictus enim, qui errare facit, cæcum in itinere. (e)

Longè plùs nocet, falsus Catholicus, quàm si verus appareret Hæreticus. S. Bern.

REFLEXIO.

QUam multo enim putatis Fratres mei, velle esse Christianos; sed offendi malis moribus Christianorum? Ipsi sunt vicini, (*de quibus dolet Ecclesia in Psalmo 30.*) qui jam appropinquabant; & nimium opprobrium illis visi sumus. Nam quid tam timendum, qua cum videt homo multos male viventes? & de quibus bene sperabatur, in multis malefactis inventos? Timet ne tales sint omnes, quos putabat bonos; & veniunt in suspitionem malam propè omnes boni. Qualis Vir? quomodo cecidit? quomodo inventus est in illa turpitudine? in illo

in illo ſcelere, in illo facto? Putaſne tales ſunt omnes? (f) Ita ratiocinantur, qui fortè vellent converti ad veram fidem; & dũ ita ratiocinantur, ſalutem ſuam remorantur.

(a) *Luc: 16. v. 2.* (b) *Levit: 4. v. 3.* (c) *1. Cor: 8. v. 11.* (d) *Pſal: 13. v. 4.* (e) *Deut: 27. v. 18.* (f) *S. Aug: in Pſal: 30. Cant. 2.*

DIE XXIX.

AB omni ſpecie mali, abſtinete vos. (a) Ecce nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes! (b) Vos enim receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. (c) Propter quod, & ego *DEUS* dedi vos contẽptibiles, & humiles omnibus populis. (d) Unusquisq; igitur veſtrum, proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. (e)

Quot quis teſtes ſuæ iniquitatis habet, tot diſcipulos efficit S. Aug.

REFLEXIO.

ENim vero, ſi quis extraneus aliunde ad nos Sacerdotes veniret? & tum Religionis diſciplinæq; Chriſtianæ negocia, tum politicæ noſtræ confuſionem probe intelligeret; neſcio quoſnam alios magis, quàm nos ipſos hoſtes Chriſti judicaturus eſſet. Ita enim vitæ noſtræ rationem inſtituimus, ac ſi de induſtria, viam mandatis ipſius contrariam, ambulare decreviſſemus. Quæ

prohibita sunt, facimus, quæ vero præcepta, negligimus. (f) emendemus!

(a) 1. *Thessal*: 5. v. 22. (b) *Malach*: 2. v. 1. (c) *Ibid*: v. 8. (d *Ibid*: v. 9. (e) *Rom*: 15. v. 1. (f) *S. Chrysost*: *Hom*: 6. *Floril tom*: 6. *col*: 606.

DIE XXX.

SIne offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ DEI. (a) Nemini dantes ullam offensionem: ut non vituperetur misterium nostrum. (b) Si enim oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abste. Bonum tibi est, unum oculum habentem, in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam, ignis. (c)

Dupliciter reus est, qui aperte delinquit, quia agit, & docet, facit, & svadet. S. Isidorus.

AFFECTUS.

AB occultis meis munda me Domine. (d) Et ab alienis parce servo tuo. (e) Nam juxta iter, scandalum posuerunt mihi. (f)

(a) 1. *Cor*: 10. v. 32. (b) 2. *Cor*: 6. v. 3. (c) *Math*: 18. v. 9. (d) *Psalm*: 18. v. 13. (e) *Ibid*: v. 14. (f) *Psal*: 139. v. 6.

VIA

VIA ILLUMINATIVA

In Lumine tuo videbimus Lumen.
Psalmo 35.

MAJUS.

DIE I.

MEDITATIO XVII.

De Amicitia Hominum.

DIlige proximum, & conjungere fide cum illo. (a) Meliùs ergò est duos esse simul, quàm unum; habet enim emolumentum societati suæ. (b] Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. (c) Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. (d)

Quid dulciùs, quàm habere, quo cum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Cicero.

REFLEXIO.

NAm quis est proh Deûm fidem, atq; hominum! qui velit, ut neq; diligat quẽquam, nec ipse ab ullo diligatur? (e) Solatium quippe vitæ hujus est, ut habeas, cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris, ut colloces tibi fidelem Virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur,

Amicum enim bonum qui nolit, nemo eſt. (f) Solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt. (g) Una eſt enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt. (h) Et beatus talis eſt, qui invenit amicum verum. (i) Cura & tu.

(a) *Eccl: 27. v. 18.* (b) *Eccl: 4. v. 9.* (c) *Ibid: v. 10.* (d) *Eccl: 6. v. 14.* (e) *Cicero de amicitia cap: 15.* (f) *S. Ambr: 3. Offic: 16.* (g) *Cicero de amicit: cap: 13.* (h) *Idem cap: 23.* (i) *Eccl: 25. v. 12.*

DIE II.

SI poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & ne facile credas ei. Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. (a) Sodalis conjucundabitur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adverſarius erit. (b) Eſt amicus ſolo nomine amicus. (c)

Amicus videri vult adulator: nihil amico inimicum magis. S Cyprianus.

REFLEXIO.

OMnis amicus dicet: & ego amicitiam copulavi, ſed eſt amicus ſolo nomine amicus. Nonne triſtitia ineſt uſq; ad mortem? ſodalis autem & amicus, ad inimicitiam convertentur. O præſumptio nequiſſima! unde creata es, operire aridam malitiâ,

tiâ, & dolositate illius? (d) Rari sunt amici, qui usq; ad finem existant chari. (e) Proinde tu, diu cogita, an tibi in amicitiā aliquis recipiendus sit. (f) Sed si optas tibi invenire secundum Cor DEI amicum? quære prius DEUM.

(a) *Eccl: 2. v. 7.* (b) *Ibid: 37. v. 4.* (c) *Ib: v. 1.* (d) *Eccl: 37. v. 1.* (e) *S. Isidor: l. 3. de sū-mo Bono cap: 29.* (f) *Seneca Epist. 3.*

DIE III.

AMico, & inimico, noli narrare sensum tuum, & si est tibi delictum, noli denudare. (a) Audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te. (b) Caput suum movebit, & plaudebit manu, & multa susurrans, commutabit vultum suum. (c) Et in corde suo insidiatur, ut subvertet te in foveam. (d)

Quod taceri vis prior ipse taceas. Parum silentii ab alio expectas, qui ipse non observas.

REFLEXIO.

QUotusquisque talis invenitur, de cujus ànimo, & moribus, sit in hac vita, certa securitas? Nam sicut sibi quisq; nemo alter alteri notus est: & tamen nec sibi qu sq; ita notus est, ut sit, de sua crastina conversatione securus. (e) Tentare oportet priùs, & experimentum capere; & inquirere num illæ adsint in amico virtutes, quas, si in tuam vitam transtuleris, ornamentum tibi

præ-

præbeant. Quare, cum placuerit fieri, totô illum pectore admitte: tùm audacter cũ illo loquere, quàm tecum. (f)

(a) *Eccl: 19. v. 8.* (b) *Ibid: v. 9.* (c) *Ibid: 12. v. 19.* (d) *Ibid: v. 15.* (e) *S. Aug: Epist: 121. cap: 2.* (f) *Desing: c. 44. de amicit: §. 319. n. 4.*

DIE IV.

SIt tibi consiliarius, unus de mille. (a) Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo, ne reveles. (b) Ne fortè insultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset. (c) Et ne dicat tibi: bona est via tua, & stet è contrariò videns, quid tibi eveniat. (d)

Noli esse amicus multis, quia plures sunt mali; nec inimicus malis, quia sunt multi. Seneca.

REFLEXIO.

CAve: Tales habeto amicos, quorum cõtubernio non infameris. Cave omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes, ori applicatos, & degustatos cibos, blandosq; & dulces literulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meumq; desiderium Christus est. (e) Si ita est comparata amicitia tua, fuge fuge. Quia non est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. (f) Talis tibi eligendus est in ami-

amicum, quem non iracundiæ furor inquietet, non instabilitas dividat, non conterat suspitio, non verbositas à debita gravitate dissolvat. (g)

(a) *Eccl: 6. v. 6.* (b) *Prov: 25. v. 9.* (c) *Ib: v. 10.* (d) *Eccl: 37. v. 11.* (e) *S. Hieron: Ep: 2. ad Nepotian.* (f) *S. Ambr: 13. de Offic.* (g) *S. Aug: de amicitia.*

DIE V.

AMicus stultorum similis efficietur. (a) *Quare* cum fatuis consilium non habeas: Non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent. (b) Nam stultus, sicut luna mutatur. (c) Cum stulto, ne multùm loquaris. (d) Nam cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. (e)

Quis utilem judicet causa aliena, quem videt inutilem vita sua. S. Ambr.

REFLEXIO.

NE familiaris illi fias, quem vides inutilē vitæ tuæ, sed elige familiares, non placituros tantum, sed & profuturos: Non eos, qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodum; nec qui suaviter assentabuntur, sed qui vere admonebunt. (f) Fideles existima, non qui, quidquid dixeris, aut feceris, laudant, sed qui etiam errata, & delicta reprehendunt. (g) Si eos amicos amplecteris, qui tibi in rebus nequissi-

quiſſimis gratificantur; nulli erunt, qui tuum odium in vitæ conſvetudine, propter res optimas, & utilitatem tuam, ſuſcipere velint. (h)

(a) *Prov: 13. v. 20.* (b) *Eccl: 8. v. 20.* (c) *Eccl: 17. v. 12.* (d) *Ibid. 22. v. 14.* (e) *Ib: v. 9.* (f) *Vives l. c.* § *520.* (g) *Iſocrat: ad Niceclem.* (h) *Idem ad Demonic: Pracept: 47.*

DIE VI.

QUi cum ſapientibus graditur, ſapiens erit. (a) *Quare* conſilium ſemper à ſapiente perquire. (b) Sine conſilio, nihil facias, & poſt factum, non pœnitebis. (c) Et erit ſalus ubi multa conſilia ſunt. (d) Qui autem confidit in corde ſuo, ſtultus eſt. (e) Et ſepultura aſini ſepelietur. (f)

Prudens nil temere agit, propriumq; judicium alieno conſilio ſubjicit. S. Bonav.

REFLEXIO.

SApientiſſimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit ipſi, veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. (g) Et præcipua pars prudentiæ eſt, alios prudentiores arbitrari. (h) Qui vero de ſua unius ſententia omnia geret, ſuperbum hunc judicabo, quàm ſapientem. (i) Quoniam ambitioſum eſt, aliorum conſilia dedignari. (k) Omnia igitur fieri debere conſilio, quæ coſilio recte

fieri

fieri possunt, ad evitanda quæ adversa sunt; Etiam cum DEUS apertissimè adjutor est. (l)

(a) *Prov: 13. v. 20.* (b) *Tob: 4. v. 19.* (c) *Eccl: 32. v. 24.* (d) *Prov: 24. v. 6.* (e) *Ibid: 28. v. 26.* (f) *Jerem: 22. v. 19.* (g) *Cicero pro Cluët:* (h) *Plinius apud Guevara Horol. Princ: l. 2. C. 14.* (i) *Livius l. 44.* (k) *Desing: § 199. nū: 2.* (l) *S. Aug: Quæst: 49. in Exod.*

DIE VII.

AB amicis tuis attende. (a) Multi enim colunt Personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. (b) Ore suo pacē, cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias. (c) Attende diligenter. (d) Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. (e) Nunquid Judas non abiit ad summos Sacerdotes, ut proderet eum (*Jesum*) illis. (f)

Diù cogita, an tibi in amicitia, aliquis recipiendus sit. Seneca.

REFLEXIO.

NUllam, in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem, blanditias, assentationem; Nam cum amicitiæ sit vis in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus; quî id fieri poterit si ne in uno quidem unus animus erit idemq; semper; sed varius commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, quàm animus ej9, qui

qui ad alterius non modo ſenſum ac volũtatem, ſed etiam vultum, nutum convertitur. (g) Cogita ergo; quære amicum in timore DEI. Qui enim timet DEUM, æquè habebit amicitiam bonam; quoniam ſecundum illum erit amicus illius. (h]

(a) *Eccl: 6. v. 13.* (b) *Prov: 19. v. 6.* (c) *Jerem: 9. v. 8.* (d) *Eccl: 13. v. 10.* (e) *Prov: 27. v. 6.* (f) *Marci 14. v. 10.* (g) *Cicero de amicit: C. 25.* (h) *Eccl: 6. v. 17.*

DIE VIII.

NE derelinquas amicum antiquum. Novus enim non eſt ſimilis illi. (a) Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: Quaſi Fratrem tuum, ſic eum tracta. (b] Nam amico fideli, nulla eſt comparatio. (c) Dilies igitur amicum tuum, ſicut te ipſum. (d) Et noli fieri pro amico, inimicus proximo. (e)

Amicitia tantò certior eſt, quantò vetuſtior. Caſſiodorus.

AFFECTUS.

BEatus qui invenit amicum verum. (f) *Sicut* ungventô, & variîs odoribûs, delectatur cor, ita bonîs amicîs, conſiliîs, anima dulcoratur. (g)

(a) *Eccl: 9. v. 14.* (b) *Ibid: 33. v. 31.* (c) *Ib: 6. v. 15.* (d) *Levit: 19. v. 18.* (e) *Eccl: 6. v. 1.* (f) *Eccl: 25. v. 12.* (g) *Prov: 27. v. 9.*

DIE

DIE IX.
MEDITATIO XVIII.
De Obedientia.

AUdite rebelles: (a) Peribitis, ſi inobedientes fueritis. (b) Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis. (c) Væ illis! qui in contradictione *Core* abierunt. (d)

Vide qualis ſis in obediendo. Si bonus? gaude: ſi malus? ſerio emenda. Hoc cape, ne capiaris.

REFLEXIO.

O Confuſio ſumma! o perverſio deteſtanda! quia majoris ſunt obedientiæ bruta, quàm rationalia. Nam apes in tantum Regi ſuo obedientes ſunt, ut ad ejus imperium exeant; & ſubſiſtant, vadant, & redeant, & caſtra ponant. Ei non obediens eris? cui obediunt Cœleſtia agmina, obediunt velint nolint Dæmonia! obediunt omnia cœleſtia corpora? & obediunt quatuor elementa, & omnia animalia. (e) Attende: *Qui ſe ſubtrahere nititur ab obedientia, ille ſe ſubtrahit à gratia DEI.* (f)

(a) *Num: 20. v. 10.* (b) *Deut: 8. v. 20.* (c) *Luc: 12. v. 47.* (d) *Judæ v. 11.* (e) *S. Bonav: ſer: 1. de SS. Apoſt.* (f) *Gerſen l. 3. de Imit c. 13.*

DIE

DIE X.

NOn est potestas nisi à DEO: Quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. (a) Itaq; qui resistit potestati *Superiorum*, DEI ordinationi resistit. (b) Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. (c) Noli ergo resistere contra Faciem Potentis. (d) Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. (e)

Obedientia quæ majoribus prebetur, DEO exhibetur. S. P. Benedictus.

REFLEXIO.

DIsce Religiose celenter Superiori tuo, te submittere, si carnem propriam optas subjugare; citiùs namq; exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus. Valde enim magnum est, sub obedientia stare, sub Prælato vivere, & sui juris non esse; Quia omnis Religiosus in obedientia vivens iste veraciter in spiritu Martyr, quamvis materiali gladio in collo non feriatur. (f) Nunquid palma Martyrum obediens non coronabitur? (g)

(a) *Rom: 13. v. 1.* (b) *Ibid: v. 2.* (c) *Luc: 10. v. 16.* (d) *Ecl: 4. v. 32.* (e) *Rom: 13. v. 2.* (f) *Thomas à Kemp: serm: 11. ad Novit.* (g) *In Vitis Patr: lib: 4. Cap: 4.*

DIE XI.

SErvi obedite Dominis, cum timore, &

tremo-

tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto. ſa) Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate. (b) Quodcunq; enim facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus. ſc) Scientes, quia à Domino accipietis retributionem hæreditatis ſd)

Non dura ibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur, quod jubetur. S. Leo.

REFLEXIO.

DIſce optemperare pulvis, diſce te humiliare terra & limus, & ſub omnium pedibus incurvare; diſce voluntates tuas frangere, & ad omnem ſubjectionem te dare. ſe] Quia talem obedientiam Chriſtus efflagitat, ut neq; punctum temporis differamus, etiamſi nos aliquid urgere neceſſarium videatur. ſf) Quia *quantò obedientiores fuerimus Præpoſitis noſtris, tantò obediens erit DEUS Orationibus noſtris.* ſg} Ergo ſine mora obediens eſto.

ſa) *Ephes* 6. *v.* 5. ſb) 2. *Cor:* 9. *v.* 7. ſc) *Coloſs:* 3. *v.* 23. ſd) *Ibid: v.* 24. ſe) *Gerſen l.* 3. C. 13. ſf) *S. Chryſoſt: Hom:* 14. *ſuper Math.* ſg) *S. Euſeb: Hom:* 3. *ad Monach.*

DIE XII.

OMnia, quæcunq; dixerint vobis *Superiores*, ſervate, & facite. (a) Quoniam omnis, qui facit, aſſimiliabitur Viro ſapiẽti, qui ædificavit Domum ſuam, ſupra Petram.

tram. (b) Petra Christus. (c) En benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis. (d)

Obedientia o summa libertas! quâ obtentâ, vix possit homo peccare. S. Hieron.

REFLEXIO.

QUidquid vice DEI præcipit Superior, quod non sit certum displicere DEO, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet DEUS: Quid enim interest, utrum ipse per se, aut per suos ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus patefaciat suum beneplacitum. (e) Sed fortassis dices: Quomodo cognoscam voluntatem DEI, ut hæc, aut illa jussa, exequar? cum Superior id præcipiens peccet? Cui respondeo: Quod hoc argumentum sit periculosissimum; quia talis peccat judicio temerario. Etsi Superior vere coram DEO, hæc aut illa imperando delinqueret, teneris tamen uti subditus, præcipienti obedire, dũmodo res præcepta sit honesta; quia tunc DEUS utitur illo Superiore velut instrumentô suô, ad manifestandam suam voluntatem. (f)

(a) *Math: 23. v. 3.* (b) *Ibid: 7. v. 24.* (c) 1. *Cor: 10. v. 4.* (d) *Deut: 11. v. 27.* (e) *S. Bern: l. 1. de Disp: & Prel.* (f) *P. Abrah: à S. Clara serm: 21. par: 2. num: 13.*

DIE

DIE XIII.

OBedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationē pro animabus vestris reddituri. Ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. (a) Et non contristes eum (*Superiorem*) in vita. (b) Nec enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. (c) Estote ergo subditi (*Superioribus vestris*) in omni timore. (d)

Præpositum timeas, ut Dominum; diligas, ut Patrem. S. Hieron.

REFLEXIO.

EStote obedientes Præpositis vestris, sicut Christus obediens fuit Patri suo usq; ad mortem, mortem autem Crucis; Christus enim dedit vitam, ne perderet obedientiam. (e) Quare Frater, præ cæteris vitiis cave inobedientiam; & exercitia tua spiritualia, ut non ea, ex propria voluntate, sed potius ex obedientia peragas; labora. Et crede quod si in omnibus obedientia exhibita tuis Prælatis, perditum tempus recuperabit, cunctisq; præteritis erroribus tuis medebitur. Si vis ergo perfectus esse, hilariter & cum magna vultûs alachritate, suscipe Prælati imperium. (f)

(a) *Hæbr: 13. v. 17.* (b) *Eccl: 3. v. 14.* (c) *Exod: 16. v. 8.* (d) *1. Petri 2. v. 18.* (e) *S. Bernard: Ep: 42.* (f) *Idem Serm: de obedient.*

DIE

DIE XIV.

SUbjecti estote omni humanæ creaturæ, propter DEUM: sive Regi quasi excellenti. (a) Sive Ducibus tanquam ab eo missis. (b) Quia sic est voluntas DEI. (c) Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domimi. Nunquid non melior est obedientia quam victima? (d)

Una obedièntia plùs valet, quàm omnes virtutes. S. Aug.

REFLEXIO.

FElix servitus, non suæ, sed alterius propter DEUM obedire voluntati. (e) Victores enim sunt, qui obediunt? quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi per obedientiam lapsis Angelis dominantur. Cæteris virtutibus Dæmones impugnantur, per obedientiam vincuntur. (f) Scito ergo quod tanntùm virtuti adjicies, quantùm propiæ voluntati detraxeris. (g) Ut autem melius valeas esse obediens, cogita semper, quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam, non tanquam ab homine audias, sed tanquam à DEO. (h)

(a) *1. Petri 2. v. 13.* (b) *Ibid: v. 14.* (c) *Ibid: v. 15.* (d) *1. Reg: 15. v. 22.* (e) *S. Bonav: p. 1. in spec: discipl: c. 4.* (f) *S. Greg: l. super 1. Reg: c. 5.* (g) *S. Hieron: in Epiat.* (h) *S. Bonav: in Collat. 8.*

DIE

DIE XV.

VIs non timere poteſtatem (*Superioris*) bonum fac, & habebis laudem ex illa. (a) Nam DEI Miniſter eſt tibi in bonū. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. DEI enim miniſter, eſt vindex, in iram ei, qui malum agit. (b) Judeoq; neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. (c)

Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit culpam. S. Aug.

REFLEXIO.

NEque ſumus minus felices Apoſtolis, quia ipſis *Chriſtus* per ſe ipſum præcepit, nobis per homines, imo quodammodo feliciores. Quid enim magnum eſt, ſi homo DEO immediate ſibi præcipienti obediat? ut magnæ fidei indicium eſt, hominem homini propter DEUM, humiliter obedire, in homine abjecto, & ſibi ſimili, DEUM præcipientem agnoſcere. Certe Thomæ Chriſtum reſuſcitatum videnti, ipſumq; DEUM eſſe credenti dixit Dominus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti; Beati, qui non viderunt. Idem omnino ſibi obedientibus, quia immediate præcipiebat poſſet dicere: quia vidiſtis me, obediſtis mihi; Beati qui me non viderunt, & in ſuis Prælatis mihi obedierunt. (d)

(a) *Rom: 13. v. 3.* (b) *Ibid: v. 4.* (c) *Ibid: v. 5.* (d) *Alvarez p. 3. C. 2.*

DIE XVI.

INſpice, & fac ſecundum exemplar. (a) Chriſtus factus obediens usq; ad mortē, mortem autem Crucis. (b) Vade ergo & tu, & fac ſimiliter. (c) Non enim eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſervus ſupra Dominum ſuum. (d) Facies ergo quodcunq; dixerint, qui præſunt loco. (e)

Extremam Chriſtus præſtitit obedientiam, propterea accepit ſupremum honorem. S. Chryſoſt.

AFFECTUS.

LOquere Domine, quia audit ſervus tuus. (f) Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. (g)

(a) *Exodi 25. v. 40.* (b) *Philip: 2. v. 8.* (c) *Luc: 10. v. 37.* (d) *Math: 10. v. 24.* (e) *Deut: 17. v. 10.*

DIE XVII.
MEDITATIO XIX.
De Paupertate.

NUdus egreſſus ſum de utero Matris meæ, & nudus revertar. (a) Sed creſcere me fecit DEUS in terra paupertatis meæ. (b) Nam Dominus paupertatem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat. (c) Quoniā non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. (d)

DEUS te fecit pauperem, ut sufferendo brevem inopiam, æternam vitam acquireres. S. Aug.

REFLEXIO.

DEI Filius sustinuit Crucem, & tu putas beatos, qui felicitate istius sæculi, & deliciis perfruuntur? Mendacem facis ipsā veritatem. (e) Hanc paupertatem Christus adamavit, ut eam in primo suo ingressu in mundum, velut Matrem incredibili cordis affectu, amplexatus sit, de quo S. Bernardus ait: *In Cælo paupertas non erat invenienda, & in terra erat abundanter, & homo nesciebat ejus pretium, ideo ob hujus desiderium descendit Filius DEI de Cœlo, ut hanc sibi eligeret, & nobis etiam per ejus magni æstimationē pretiosiorem redderet.* (f) Et tu abhorres?

(a) *Job 1. v. 21.* (b) *Gen: 41. v. 52.* (c) *1. Reg: 2. v. 7.* (d) *Psal: 9. v. 19.* (e) *S. Hieron: Epist: 33.* (f) *S. Bernardus.*

DIE XVIII.

SI vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo. (a) Omnis enim qui reliquerit domum, vel fratres... propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. (b) Imo accipiet centies, nunc in tempore, & in sæculo futuro vitam æternam. (c)

Parva dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato fanore promissa Christi redduntur. S. Hier.

REFLEXIO.

QUid paupertate meliùs? quid securiùs? quid jucundiùs? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; Hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat, bonum Cœleste præstolatur possidere in Cœlo; ita nihil habet, quod amittere possit in terra, frequenter evolat ad supernam Patriam, ubi suum Remuneratorem esse cognoscit. (d) Quia ille in Cœlo dives erit, qui cum Christo in terra semper pauper fuit. (e) Paucis contentus esto, & simplicibus delectare. (f) Sit tibi paupertas ipsa solatio, quæ te viventem liberrimum facit, & securissimum morientem. (g)

(a) *Math: 19. v. 21.* (b) *Ibid: v. 29.* (c) *Marci 10. v. 30.* (d) *S. Laur: Just: de paupert: cap: 4.* (e) *In Vita S. Eugeniæ.* (f) *Ludovic: Blosius l. Enchirid: parvul.* (g) *Petrus Bles: Epist: 14.*

DIE XIX.

BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. (a) Noli timere: Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus. (b) Edent enim pauperes, & saturabuntur... vivent corda eorum in sæculum sæculi. (c) Nolite ti-

mere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. (d)

Vis nosse, quàm dives sit paupertas? Cœlum emit. S. Aug.

REFLEXIO.

QUis magis dives esse poterit, quàm cui debetur Regnum Cœlorum. At hoc proprium est pauperibus ut ipsemet Salvator docet: *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est Regnum Cælorum.* Præterea etiam status horum pauperum, adeo beatus est, ut ob ejus felicitatem, quasi Regnum Cœlorum nuncupari possit. Non enim duntaxat pro amore DEI relictis, gaudium habebunt æternum, sed insuper in hac vita, pro ejus, multa Cœlestia dona adipiscentur secundum illud: *Centuplum accipient, & vitã æternam possidebunt.* (e) Esto pauper spiritu, & eris dives qualicunq; censu. (f) Non venisti ad divitias, sed ad paupertatem. (g) Scito ergo: Paupertas enim voluntaria animam vestit virtutibus, quam divitiæ temporales expoliant. (h)

(a) *Math:* 5. v. 3. (b) *Tob:* 4. v. 23. (c) *Psal:* 21. v. 27. (d) *Luc:* 12. v. 32. (e) *Rodriquez* p. 3. *tract:* 3. c. 2. (f) *S. Ambros:* l. 1. *de Cain & Abel* c. 5. (g) *S. Bernard: serm:* 17. *ad sororem.* (h) *S. Antonius Padv: Domin:* 5. *Trinit.*

DIE

DIE XX.

BEatus, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. [a] Quapropter nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris. [b] Thesaurizate magis thesauros vobis in Cœlo: ubi nec erugo, nec tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur. [c]

Pauper sum, ais, falleris. DEUM solum si habes, omnia habes; ergo non es pauper. S. Euseb.

REFLEXIO.

HIc bene notandum occurrit, quod eo ipso, quod quis mundi opes contempserit, & cum Apostolis omnia relinquerit, nō præmiabitur, multò minùs centuplum, secundum Christi promissum, accipiet, nisi etiam voluntate, & desiderio habendi se abdicaverit; qui hoc non præstat, pauper Christi esse nequit; quia ut Salvator loquitur: *Qui non renuntiat omnibus non potest esse meus Discipulus.* Igitur licet quis se omnibus, & quidem opulentissimis mundi bonis abdicaret, & ad Monasterium properaret, si tamen adhuc voluntatem, aliquas saltem res habendi sibi reservaret, gratum DEO opus minime præstaret, neq; Discipulus Christi fieret, quia nondum omnia reliquisset. [d]

[a] *Eccl: 31. v. 8.* [b] *Math: 10. v 9.* [c] *Ibid. 6. v. 20.* [d] *Joan: Diac: in Vita S. Gregor.*

DIE XXI.

COnfide in DEO, & mane in loco tuo. (a) Facile est enim in oculis DEI, subito honestare pauperem. (b) Utiq; bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas, à DEO sunt. (c) Nunquid DEUS non elegit pauperes in hoc mundo? (d) Potens est enim DEUS, de lapidibus suscitare filios Abrahæ. (e)

Propter te DEUS excelsus, de Cœlis advenit, ut te, à terrenis elevaret ad Cœlum. S. Anselm.

REFLEXIO.

PRoh dolor! Multi de paupertatis solo nomine gloriantur, sed quo pacto? ut nihil eis desit; Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis amicos, & sodales fugiunt pro suo posse, famem, sitim, contemptum &c. Qui enim in vestibus quærit honoré, ne vilis habeatur, non diligit paupertatem; Qui dum sitit, non potest sitim aliquandiu perferre, is non studet paupertati: Qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur. Verus autem paupertatis sectator, non potest etiam contristari ob defectum, & rerum inopiam, totius communitatis, sed semper liberalem DEI Providentiam (*qua DEUS suos famulos nunquam deserit*) expectare debet. (f)

(a) *Eccl: 11. v. 22.* (b) *Ibid: v. 23.* (c) *Ibid: v. 14.*

v. 14. (d) *Jacob 2. v. 5.* (e) *Math: 3. v. 9.* (f) *S. Vincentius tr: de vita spirituali c. 1.*

DIE XXII.

MElior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm dives. (a) Idcirco audi hæc paupercula. (b) Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est & dives, & sepultus est in inferno. (c)

Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas vitæ præsentis. S. Gr.

REFLEXIO.

ATtollamus animos! Terrena quærat, terrena sapiat, qui terra, & terrenus est totus: Sed qui se DEI cultui dedicavit, & scit cur creatus sit, cur versetur in mũdo, quo abire festinet? (d) Ille qui non totus terra est: cur se volutat in luto? multæ multæ Cœlestium divitiæ. Non tu dives, & Angelus pauper. (e) Angeli verè divites sunt. Quid dicuntur divitiæ? facultates. Angeli habent magnas facultates, quia habent magnas facilitates. Audis cum laudatur dives: Quantum magnus est, Dominus est, dives est, potens est! Quantum magnus: ut eat, ut eat quo vult, jumenta adsunt, sumptus adsunt,, servi adsunt. Omnia ista habet dives; quo vult it; laborem non patitur Angelus, ubi voluerit ibi

erit.

erit. Nec dicit: junge; nec dicit: sterne; quod cum superbia dicunt divites, qui in inferno sepeliuntur. Pauperes vero ab Angelis in sinum Abrahæ deportantur. (f)

(a) *Prov: 19. v. 1.* (b) *Isa: 51. v. 21.* (c) *Luc: 16. v. 22.* (d) *S. Hier: 2. in Jovinia.* (e) *S. Aug: ser: 74. Temp:* (f) *Idem ser: 1. de Divers.*

DIE XXIII.

VÆ vobis divitibus! qui habetis consolationem vestram. (a) Quàm difficile, qui pecuniam habent introibunt? (b) Melius est parum, cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles. (c) Divitiæ vero si affluant, nolite cor apponere. (d)

Quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? S. Bernardus.

REFLEXIO.

FAme pauper tabescit, tu copiâ rumperis, Frater nudô corpore oberrat, tu vestib9 addis, quæ tineis consummuntur, quantò satius foret, ut his egenorum corpora tegerentur. (e) Scitote divites, quia divitiæ vestræ laqueus sunt diaboli, heu! quā pauci sunt, qui volunt ab isto laqueo liberari? quam multi sunt, qui dolent quod parum sint irretiti. (f) Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo cum diabolo ad certamen properat, vestimenda abjiciat ne succumbat,

bat, nudi cum nudis luctari debemus. Si enim vestitus quipiam, cum nudo luctatur, citiùs in terram dejicitur; quod habeat, unde teneatur. (g)

(a) *Luc: 6. v. 24.* (b) *Marci 10. v. 23.* (c) *Prov: 15. v. 16.* (d) *Psal: 61. v. 11.* (e) *S. Chrysost: Hom: 58. super Joan.* (f) *Hugo à S. Vict: l. 2. Miscel. cod: 2.* (g) *S. Greg: Hom: 32.*

DIE XXIV.

RESpice in Faciem Cheisti tui. (a) Ecce! vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem Hominis, non habet ubi Caput suum reclinet. (b) Nonne egenus factus est, cum esset dives? ut illius inopia vos divites essetis? (c) Habentes autem aliementa, & quibus tegamur, his contenti simus. (d)

Affatim dives est, qui cum Christo pauper est in vita. S. Eugeniæ.

AFFECTUS.

HI in curribus, & hi in equis. (e) Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo. (f)

(a) *Psal: 83. v. 10.* (b) *Math: 8. v. 20.* (c) *2. Cor: 8. v. 9.* (d) *1. Tim: 6. v. 8.* (e) *Psalm: 19. v. 8.* (f) *Habac: 3. v. 18.*

DIE

DIE XXV.
MEDITATIO XX.
De Castitate.

O Quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius, quoniam apud DEUM nota est, & apud homines. (a) Quam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum Sanctarum. (b)

In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed Cœlestis. S. Chrysost.

REFLEXIO.

NIhil ita DEO Religiosos familiares efficit, ut pulchra, & honesta, & DEO gratissima castitas, quæ sicut S. Paulus attestatur: *Honestatem, & perseverentiam jugiter vacandi Domino sine distractione, præstat.* (c) Qua de causa SS. Patres ab initio vocationis suæ eam censuerunt, ad perfectionem unicè necessariam. Est enim castitas, tàm præstans virtus, ut vel apprimè hanc DEI Filius suspexerit in gloriosissima Virgine MARIA, ideo etiam illam, præ cunctis mulieribus, in suam Matrem elegit. (d) Imitare. *Nam castitas perducit hominem ad gloriam, ad Cœlum sublevat, Sanctis Angelis unit.* (e)

(a) *Sap: 4. v. 1.* (b) *Ibid: 3. v. 13.* (c) 1. *Cor: 7.*

Cor: 7. (d) *Prat: ſprit: Cap. 41.* (e) *S. Aug: ſerm. 65.*

DIE XXVI.

VIrginem ne conſpicias: ne forte ſcandalizeris in decore illius. (a) Videbant *Suſannam* ſenes, quotidiè ingredientem, & deambulantem; Nunquid non exarſerunt in concupiſcentiam ejus, & everterunt ſenſum ſuum? (b) *Judith* ſtetit ante faciem *Holofernis*, Nunquid cor *Holofernis* non cuſſum erat? (c)

Ne dicatis vos habere amicos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos. S. Aug.

REFLEXIO.

MUlierum aſpectus declinandus eſt; quia profecto omnis laſcivia, ſuum ortum communiter à viſu ducit, quod clariſſime conſpicitur ex Libro Geneſis: Quare enim DEUS ut ſacer textus ait: tactus dolore cordis intrinſecus. *Doleba* inquit *hominem quem creavi à facie terræ.* (d) Et cur paulo poſt, ſuam hanc comminationem, per diluvium univerſale implere volit? Ideo, quia videntes Filii DEI, filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Ecce cauſam tanti mali, per aſpectum enim filiarum hominum Filii DEI ceſsârunt eſſe tales, & facti ſunt carnis mancipia. Unde dixit DEUS: *Non permanebit Spiritus meus in homine*

in

in æternum, quia caro est. (e) Merito igitur nos adhortatur Ecclesiasticus: *Averte* inquit *faciem tuam à muliere.* (f)

(a) *Eccl: 9. v. 5.* (b) *Daniel: 13. v. 8.* (c) *Judith: 12. v. 15.* (d) *Gen: 6. v. 6.* (e) *Gen: 6. v. 3.* (f) *Eccl: 9. v. 8.*

DIE XXVII.

ADam non est seductus, Mulier autem seducta, in prævaricatione fuit. (a) Quia à Muliere initium factum est peccati. Væ eheu! per illam omnes morimur. (b) Fuge itaq; dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulloq; cervorum. (c) Mulier laqueus venatorum est, & sagena cor ejus. (d)

Propone tibi Mulier non peccare: occasionem non fugis; frustra es? evasisti semel, post gravius rues.

REFLEXIO.

AD castitatem servandam, non erit minimum se diligenter custodire, nequis se à fæmina etiam sanctissima, aut sibi sangvine junctissima tangi sinat, aut eam tangat, quocunq; contactu, etiam licitissimo; quoniam non raro ex tali tactu, in anima causatur aliqua immunditia. Utiq; pluvia bona est, & bona terra? tamen ex earum cõmixtione fit lutum, quo homo fædatur. (e) Castitas omnibus pernecessaria est, sed

maxi-

maxime Miniſtris Altaris Chriſti. Tales decet Dominum habere Miniſtros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, ſed potius continentiâ caſtitatis ſplendeant. (f)

(a) *1. Tim: 2. v. 14.* (b) *Eccl: 25. v. 33.* (c) *Cant: 8. v. 14.* (d) *Eccl: 7. v. 27.* (e) *S. Petr: Dam: l. 2. Ep: 18.* (f) *S. Aug: ſerm: 5. Dom: 4. poſt Trinit.*

DIE XXVIII.

TEmplum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis. Si quis autem Templū DEI violaverit, diſperdet illum DEUS. Templum enim DEI Sanctum eſt: quod eſtis vos. (a) Hæc eſt enim voluntas DEI Sanctificatio veſtra: ut ſciat unusquisquè veſtrum, vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione, & honore. (b)

Quanta eſt virginitatis gratia, quæ meruit à Chriſto eligi, ut eſſet corporale templum DEI. S. Ambroſius.

REFLEXIO.

SIcut candor materialis, vel albedo, eſt caput & fundamentum aliorum colorum, ut dicit Philoſophus; ſic caſtitas eſt quaſi caput, & fundamentum aliarum virtutum. (c) Caſtitas enim eſt ornamentum nobilium, exaltatio humilium, decus S. Religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Domini amica, Angelorum cogna-

ta, Patriarcharum vita, Prophetarum corona, Apostolorum cingulum, Martyrum auxilium, Confessorum vehiculum, Virginum speculum, Viduarum refugium, cunctorum bonorum gaudium, & solatium. (d) Considera, quoties tu templum hoc violaveris? quoties Spiritum Sanctum à te retraxisti? Dole, corrige, ac perspice quomodo velis, possis, debeas? (e)

(a) *1. Cor: 3. v. 16.* (b) *1. Thessal: 4. v. 3.* (c) *S. Bonav: c. 23.* (d) *S. Aug: serm: 19. ad Fratres.* (e) *Desing: §. 151. num. 3.*

DIE XXIX.

OMnis ponderatio, non est digna continentis animæ. (a) Qui enim diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorũ suorum, habebit amicum Regem [*DEUM.*) (b) O quam beati mundo corde, quoniã ipsi DEUM videbunt. (c) Incorruptio enim facit esse proximum DEO. (d)

Magnum est virginitas, quæ hominem incorruptibilem simillimum facit. S. Basil.

REFLEXIO.

SI vis approximari DEO? imitare castum Joseph, pulchrum corpore, pulchriorem mente, quem castitas sic possiderat, ut irruentes ruinæ, Dominæ mulieris impudicæ, non possent eum violare, cujus jam DEUS possiderat mentem. (e) Ecce incipit & tibi

bi esse bellum adversum te. Antiquus enim hostis, tantò enixiùs non cessabit multimodis te calliditatibus invadere, quantò te videt, studiosius velle laqueos ejus, per servandam castitatem evadere. (f) Nam Dæmones pulchritudinem animæ scientes esse castitatem; & per hanc hominem Angelicis meritis, è quibus ipsi lapsi sunt, coæquari, livore percussi invidiæ, injiciunt per sensus corporis opus, desideriumq; libidinis, ut secum quos vicerint gloriantes, ad Tartara ducant. (g) Si ergo tibi aliquando ante mentis oculos reducet delectabilia, in quibus solitus es conversari, tu confide in DEO: Major est adjutor, quam oppugnator. (h) Quæ si omnia nunc dicta facies, magnam in sancta & DEO promissa virtute castitatis accessionē facies.

(a) *Eccl: 26. v. 20.* (b) *Prov: 22. v. 11.* (c) *Math: 5. v. 8.* (d) *Sap: 6. v. 20.* (e) *S. Aug: de Cataclysmo c. 6.* (f) *S. Anselm: l. 2. Ep: 12.* (g) *S. Isidor: l. 2. c. 39.* (h) *S. Aug: ser: 160. Temp.*

DIE XXX.

MIlitia est vita hominis, super terram. (a) Caro enim concupiscit adversum spiritum, spiritus autem, adversus carnem. (b) Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo. (c) State ergo succincti lumbos vestros. (d) Et sperate in gra-

in gratiā, quæ offertur vobis (*à DEO.*) (e)

Castitas Angelos facit, qui eam servavit, Angelus est. S. Ambr.

REFLEXIO.

CONtra libidinis impetum, apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. (f) Necessarium Apostoli præceptum: *Fugite fornicationem.* (g) Hic Beatus est non qui manus conseruit, sed qui terga vertit: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* (h) Nō parum juvabit in hac periculosa lucta, habere suum refugium ad Castissimam Virginem Immaculate conceptam, quia profectò non habet talis, quod trepidet, in tentationibus, si Marianam opem, sincero corde imploraverit. (i) *Fac & tu similiter, voca MARIAM, & vicisti.*

(a) *Job*: 7. v. 1. (b) *Gal*: 5. v. 17. (c) *Ephes.* 6. v. 13. (d) *Ibid*: v. 14. (e) 1. *Petr*: 1. v. 13. (f) S. *Aug*: *ser*: *ser*: 250. *Temp.* (g) 1. *Cor*: 6. v. 18. (h) *Eccl*: 13. v. (i) S. *Bonav*: l. 2. c. 23. & 24.

DIE XXXI.

SUnt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum. (a) Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt; Hi sequuntur Agnum, quocunq; ierit. (b) In resurrectione enim, neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI in Cœlo. (c)

Differunt quidem inter se, homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute. S. Bernardus.

AFFECTUS.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? (d) Qui ingreditur sine macula. (e) Eripe me igitur de luto, ut non infigar. (f)

(a) *Math*: 19. v. 12. (b) *Apoc*: 14. v. 4. (c) *Math*: 22. v. 30. (d) *Psal*: 14. v. 1. (e) *Ib*: v. 2. (f) *Psalm*: 68. v. 15.

JUNIUS.

DIE I.

MEDITATIO XXI.

De Humilitate.

UNiversa vanitas, omnis homo vivens. (a) Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. (b) Ad nihilum valet ultra, nisi ut conculcetur. (c) In peccatis enim natus est totus. (d) Quare, humiliare DEO, & expecta manus ejus. (e)

Altus est DEUS: erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te. S. Aug.

REFLEXIO.

POne te semper ad infimum, & dabitur tibi summum. Nam summum non stat sine infimo. Sancti summi apud DEUM, minimi sunt apud se, & quantò gloriosiores,

res, tantò in se humiliores. (f) Semper enim ex mensura humilitatis, pendet mensura magnitudinis. (g) Quantò eris humilior, tantò sequitur & altitudo. (h) Esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis DEI. (i) *Humiliare se, & despectum se habere apud semetipsum, pro muro Monacho est.* (k) *Quem inter Choros collocat Angelorum demissa humilitas.* (l)

(a) *Psal: 38. v. 6.* (b) *Job: 14. v. 1.* (c) *Math: 5. v. 13.* (d) *Joan: 9. v. 34.* (e) *Eccl: 13. v. 9.* (f) *Gersen l. 2. de Imitat: Cap. 10.* (g) *Richardus à S. Vict: c. 32. de Gradib: humil.* (h) *S. Aug: tract: 104. in Joan.* (i) *S. Isidorus de cōtempt: mundi.* (k) *In vitis PP. sent: 88.* (l) *S. Nilus Abb: orat: 8. de superbia.*

DIE II.

QUid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? (a) Dicis: quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis. (b) Utiq; vocavit te DEUS, aridam terrā. (c) Terram miseriæ, & tenebrarum. (d) Quapropter quantò magnus es, humilia te in omnibus. (e)

Tantò fit quisq; pretiosior DEO, quantò propter Eum, fit vilior. S. Bernardinus.

REFLEXIO.

DEponamus omnem animi tumorem, pro-

 cul

cui hinc abjiciamus mentis ruborem ex superbia, & alta sui existimatione emananté. Perpendamus quoq; illud Christi dictum: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Ut ergo cum humilibus exaltemur, ne vereamur Fratribus nostris in vilissimis etiam rebus inservire, eisq; in omnibus postponi; delectemur potiùs, quàm contristemur, dum abjectissimis occupamur laboribus. (f) Scito ergo: Nihil Religiosum facit tam admirandum, quàm humilitas. (g)

(a) *Psalm:* 51. *v.* 3. (b) *Apoc:* 3. *v.* 17. (c) *Gen:* 1. *v.* 10. (d) *Job:* 1. *v.* 22. (e) *Eccl:* 3 *v* 20. (f) *S. Nilus Abb: de humilit:* l. 2. (g) *S. Chrysost: in* 1. *Cor: Hom:* 1.

DIE III.

HUmiliamini in conspectu Domini. (a) Non enim est bona gloriatio vestra. (b) Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur. (c) Si enim DEUS naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. (d)

Si extollis te, DEUS dejiciet te, si tu dejicis te, DEUS elevat te. S. Aug:

REFLEXIO.

OPtimum medium est, ad consequendam humilitatem, si secundum S. Bernardum

tria

tria ista semper quisque, præcipuè Religiosus in mente habeat: Quid fuisti? *quia sperma fætidum*: Quid es? *quia vas stercorum*. Quid eris? *quia esca vermium*. (e) Profectò qui hæc tria in se ruminat, fieri non potest, qui in omnigenæ virtutis specie proficiat. An non enim plenus virtutibus Apostolorum Princeps Petrus? an non talis etiam Doctor Gentium S. Paulus? Sed undè in illis tanta virtutum excellentia? Nonne quia se agnoscentes humiliaverunt? Audias enim quis, quid Petrus ad Christum dicat: *Exi à me Domine*, inquit: *quia homo peccator sum*. (f) Et S. Paulus adeo in suo nihilo descendit, ut de se dicere minimè erubuerit; ait enim: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI*. (g) Hinc quoniam præ cæteris Apostolis se humiliaverunt, ideò inter reliquos etiam primatum obtinere meruerunt. Quam verum est igitur pii Ascetæ dictum: *Tantò quis altiùs ad DEUM ascendit, quantò profundiùs in se descendit, & plùs sibi ipsi vilescit*. (h)

(a) *Jacob 4. v. 10.* (b) *1. Cor: 5. v 6.* (c) *Isa: 10. v. 15.* (d) *Rom: 11. v. 21.* (e) *S. Bern: serm: de humil.* (f) *Luc: 5. v. 8.* (g) *1. Cor: 15. v. 9.* (h) *Gesen l. 3. c. 32. §. 1.*

DIE

DIE IV.

CUm invitatus fueris ad nuptias; vade recumbe in novissimo loco: ut cum-venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. (a) Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria. (b) Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus. (c)

Prius tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es. S. Aug.

REFLEXIO.

PErconctabitur forsan aliquis, quinam sit novissimus locus? cui meo judicio respondere potest; *esse infernum.* Per nuptias enim commodè significatur *Regnum Cœlorum*, ad quod omnes invitati sumus; hoc autem Regnum extendit se, usq; ad inferos secundum illud Mathæi: *Qui autem solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum.* (d) Id est: ut SS. Doctores interpretantur: *in inferno collocabitur.* Ponamus ergo nos in nostro cogitatu, in hoc minimo loco, nos videlicet judicando, dignos esse ob nostra peccata supplicio sempiterno; Et si hoc præstabimus proculdubiò audiemus à Christo: *Amice ascende superius.* (e)

(a) *Luc.* 14. *v.* 8. & 9. (b) *Job.* 22. *v.* 29.

(c)

(c) *Marci 9. v. 34.* (d) *Math: 5.* (e) *P. Abrah: à S. Clara serm: 11. de humilit: p. 2. n. 10.*

DIE V.

OMnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. (a) DEUS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra. (b) Et alta à longe cognoscit. (c) Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. (d) Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. (e)

Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est; à gradu incipe, & ascendisti. S. Aug.

REFLEXIO.

MAgnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. (f) Nam humilis ædificat super Petram; superbus autem super arenam. (g) Si ergo opera humilitatis refugis, nunquàm ad humilitatis virtutem pervenies. (h) Nā si humilitas corrumpitur, cæterarum virtutum fabrica dissipatur. (i) Itaq; si vis in humilitatis virtute proficere, cognoscas te bene. Verus enim humilis, vilis vult reputari, non humilis prædiari. (k)

(a) *Luc: 14. v. 11* (b) *Psal: 112. v. 5.* (c) *Ps: 137. v. 6.* (d) *Luc: 1. v. 52.* (e) *1. Petri 5. v. 5.* (f) *S. Aug: ser: de verb: Dom.* (g) *Richard: à S. Vict:*

Vict: in Pascha. (h) *B. Albert: Mag: p. 1. de Parad: c. 2.* (i) *S. Anton Padv. ser: 2. Dom: 3. post Pascha.* (k) *S. Bernard: serm: 16. super Cant.*

DIE VI.

QUam angusta porta, & & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. (a) Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum. (b) Qui enim inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. (c) Quoniam & campi replebuntur ubertate. (d)

Excelsa est Patria, humilis est via; ergo qui quærit Patriam, quid recusat viam? S. Aug.

REFLEXIO.

SI vis esse humilis, obliviscere quod es, & attende, quod futurus es. (e) Sequere humilem viam, si vis ingredi Patriam; nam humilitas iter ad Cœlum. (f) Vade ad monumenta Parentum tuorum, & thecas eorum vide, quomodo sunt positi, & in pulverem, & terram resoluti; & magnam ex eo capies occasionem, ut te ipsum reprimas. (g) Multi enim hoc luto sanati sunt, quos excæcaverat animi tumor. (h) Scito igitùr humilitatem esse tanquam terram, ut inquit *S. Basilius:* ex qua crescit, & nutritur arbor charitatis, producens flores

res

res virtutum, & fructus gratiæ in anima. (i)

(a) *Math: 7. v. 14.* (b) *Ibid: 18. v. 3.* (c) *Job 22. v. 29.* (d) *Psal: 64. v. 12.* (e) *S. Aug: ser: 25. de verb: Dom.* (f) *S. Gregor. Naz.* (g) *S. Chrysost: in Entroxium tom: 1.* (h) *Idem ibid.* (i) *S. Basil: de abdicat. rerum.*

DIE VII.

QUid superbis terra & cinis? (a) Nunquid non humiliabitur superbia Israël? (b) Nonne humiliabitur superbia Assur? (c) Si quis enim videtur inter vos, sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. (d) Ubi autem est humilitas, ibi & sapientia. (e) Quis potest capere, capiat. (f)

Qui vere magnus est, nihil de se magni sentit, sed omnium se ultimum judicat. S. Chrysost.

REFLEXIO.

DIcis forte: unde humiliabo me? quasi verò tam arduum esset, & impossibile, aliquam humilis sensûs causam in te reperire. O superbe anime! forte velles tibi etiam alas esse natas, ut non ambulares in terra? quomodo te appellabo? & demoliar tuam arrogantiam? Appellabo te cinerem, & pulverem, & fumum, & sordes? sed nõdum exactè similitudinem assecutus fuero. (g) Vis igitur Cœlum ingredi? humilia te,

te, & tene: quæ hic de humilitate dicta sunt, partim quia hæc virtus maxima animæ confert emolumenta; partim etiam, quia nullus sine hac salvari poterit, ut monet Christus apud Mathæum, dum dicit: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli,* (id est humiles) *non intrabitis in Regnum Cœlorum.* (h)

(a) *Eccl:* 10. *v.* 9. (b) *Osee* 7. *v* 10. (c) *Zach.* 10. *v.* 11. (d) 1. *Cor:* 3. *v.* 18. (e) *Prov:* 11. *v.* 2. (f) *Math:* 19. *v.* 12. (g) *S. Chrysost: Hom:* 16. (h) *Math:* 18. *v.* 3.

DIE VIII.

HOc sentite in vobis, quod & in Christo JESU: qui cum in forma DEI esset, nō rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. (a) Ego sum *ait* vermis, & nō homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. (b) Discite ergo à me, quia mitis sum, & humilis corde. (c)

Dignare esse humilis propter DEUM, quia DEUS dignatus est humilis esse propter te. S. Aug.

AFFECTUS.

DOmine, Pater noster es tu, nos vero lutum. (d) *Abhinc* Domine arrogantiam, & superbiam detestor. (e) Tibi DEUS honor, & gloria. (f) Nobis autem confusio faciei. (g)

(a)

(a) *Philip: 2. v. 5. 6. & 7.* (b) *Psal: 21. v. 7.* (c) *Math: 11. v. 29.* (d) *Isa: 64. v. 8.* (e) *Prov: 8. v. 13.* (f) *Tim: 1. v. 17.* (g) *Daniel: 9. v. 7.*

DIE IX.
MEDITATIO XXII.
De Misericordia Hominis.

RELigio munda, & immaculata apud DEUM Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas, in tribulatione eorum. (a) Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula; Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. (b)

Tantò quisq; perfectior est, quantò perfectius sensit dolores alienos. S. Gregor.

REFLEXIO.

QUidquid in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captivorum, & quælibet alia opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur. Nec unquam apud DEUM perire poterit, quod fidelis benignitas erogavit, dum quicunq; tribuit ad subsidium, sibi recondit ad præmium. (c) Sive Peregrinos susceperis, sive egenos refeceris, sive dolentes fleveris, sive in necessitate, ac calamitate constitutis manum porrexeris, sive infirmis inservieris, omnia in se ipsum Christus recipit. (d)

(a)

(a) *Jacob*: 1. *v.* 27. (b) *Eccl*: 7. *v.* 38. & 39. (c) *S. Leo ferm*: 1. *de jejun.* (d) *S. Basil*: *in Constit*: c. 1.

DIE X.

QUomodo potueris, ita esto misericors. (a) Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri stude. (b) Qui enim dat pauperi non indigebit; Qui verò despicit deprecantem, sustinebit penuriam. (c) Date ergo, & dabitur vobis. (d)

Crudele est, ut de quo habes, non des ei, quem scis non habere. S. Aug.

REFLEXIO.

NOli contemnere modo manum pauperis; sed respice manus inanes, si vis habere manus plenas. (e) Didici in schola Christiana ait S. Anselmus: quod teneo, tenẽdo assero, asserendo amo: quia si quis eorum qui habent substantiam mundi, dederit indigenti vel calicem aquæ frigidæ, propter verum amorem DEI, & proximi, non perdet mercedem suam. (f) Et tu dubitas homo dare homini, cum scias te Christo dare, quod das, à quo accepisti, quidquid das? (g)

(a) *Tob*: 4. *v.* 8. (b) *Ibid*: *v.* 9. (c) *Prov*: 28. *v.* 27. (d) *Luc*: 6. *v.* 18. (e) *S. Aug*: *in Ps*: 75. 6. (f) *S. Anselm*: *l.* 1. *Epist*: 41. (g) *S. Aug*: *in Psal*: 75.

DIE

D I E XI.

NE dicas amico tuo: vade & revertere, cras dabo tibi; cum ſtatim poſſis dare. (a) Sed quod facis, fac citiùs. (b) Qui enim eſt pronus ad miſericordiam, benedicetur. (c) Quare in omni dono hilarem fac vultum tuum. (d) Hilarem enim datorem diligit DEUS. (e)

Quid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. S. Chryſolog.

R E F L E X I O.

COnceditur tibi uti ſuperfluìs, da Pauperibus neceſſaria; ut pretioſis da Pauperibus vilia. Expectat à te, expectas tu à DEO: expectat ille manum quæ facta eſt ſecum; expectas tu manum, quæ fecit te. (f) Expectat à te Pauper micam; tu expectas à DEO vitam. Ambo mendici eſtis; non accipies quod petis, niſi dederis, quod à te petitur. Dimittis mendicum tuum, dimittet DEUS mendicum ſuum. Rogas quotidie: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, &c. Qui panem quotidianum petis, pauper es, an dives? (g) Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur. (h)

(a) *Prov:* 3. *v.* 28. (b) *Joan:* 13. *v.* 27. (c) *Pro:* 22. *v.* 9. (d) *Eccl:* 35. *v.* 11. (e) 2. *Cor.* 9. *v.* 7. (f) *S. Aug: ſer:* 5. *de verb: Dom C.* 11. (g) *Idem ſer:* 41. *de verb: Dom.* (h) *Math:* 5.

DIE XII.

CUm videris nudum, operi eum, & carnē tuam ne despexeris. (a) Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosq; induc in domum tuam. (b) Et quicunq; potum dederit uni, ex minimis istis calicem aquæ frigidæ; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. (c) Invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè à Domino. (d)

Da quod non potes retinere, ut recipias, quod non potes amittere. S. Aug.

REFLEXIO.

QUi esurientem pane Verbi Divini reficit, qui sitientem potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum Patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide, & patientia instruit, qui in tribulatione oppresso consolando subvenit, hic verus misericors est. (e) Cura ergo, & fac similiter. Si enim clauseris viscera misericordiæ indigenti, omnino claudetur tibi Janua Christi. (f)

(a) *Isa: 58. v. 7.* (b) *Ibidē.* (c) *Math: 10. v. 42.* (d) *Eccl: 12. v. 2.* (e) *S. Aug: ser: 44.* (f) *Idem ser: 6. ad Fratres in Eremo.*

DIE XIII.

BEati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. (a) Tunc invocabis,

cabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet tibi: ecce adsum. (b) Qui autem obturat aurem suam, ad clamorem pauperis. ipse clamabit. & non exaudietur. (c) Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est. (d)

Misericors habet multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non audiri. S. Hier:

R E F L E X I O.

CUm das Pauperi, non nihil ab eo recipis. Orat autem pro te: & DEUS bene facit tibi, propter pauperem orantem: Amat enim DEUS orationem Pauperis, qui non amat argentũ divitis. Atq; licet ille pauper omittat orare, ipsa Eleemosyna tua nõ desinet orare, non quod DEO placeat pecunia tua, sed charitas. (e) Omnes Pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per corvum Heliam pavit; tamen & ipsi Heliæ subtraxit corvũ, ut à vidua pasceretur; non Heliæ præstitit, sed viduæ. Quando facit pauperes, probat divites; sic enim scriptum est: Pauper & dives occurrerunt sibi. Ubi sibi occurrerunt? in hac vita. Natus est ille, natus est & ille; invenerunt se, occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus. Divitem, unde pauperem adjuvaret, pauperẽ, unde divitem probaret. (f)

(a) *Math:* 5. *v.* 7. (b) *Isa:* 58. *v.* 9. (c) *Prov:* 21.

21. v. 13. (d) *Luc: 6. v. 36.* (e) *S. Aug: in Psal: 36.* (f) *Idem Hom: 13. ex 50.*

DIE XIV.

GRatìs accepistis, gratìs date. (a) Et si bene feceritis his, qui vobis bene faciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. (b) Et mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant æqualia. (c)

Date omnibus: ne forte cui non dederitis, ipse sit Christus. S. Aug.

REFLEXIO.

IPsum scias esse Christum, quem videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem videris sordida veste contectum. (d) Misericordiam volo: DEI vox est, DEUS à nobis misericordiam petit, si dederimus? quid dicturus est? venite benedicti percipite Regnum. (e) Scito enim tantò aliqua virtus est melior, quantò facit hominē DEO similiorem, quia per hoc est melior homo, per quod est DEO similior. At hoc facit maximè misericordia, quia de DEO dicitur in Psalmo: Quia miserationes ejus sunt super omnia opera ejus. (f) Si vis ergo misericordiam accipere, misericordiam exhibe. (g)

(a) *Math: 10. v. 8.* (b) *Luc: 6. v. 33.* (c) *Ib: v. 34.* (d) *S. Valer: Episc: Hom. 7. de misericord:* (e) *S. Chrysolog: ser: 41.* (f) *S. Thom: Aquin: 22. quæst: 30. A. 4.* (g) *Hugo à S. Vict: de Allegor: super Math: l. 2.*

DIE XV.

COnclude Eleemosynam in corde pauperis. (a) Et hæc pro te exorabit ab omni malo. (b) Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. (c) Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. (d) Quoniam Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. (e)

Peccatis tuis venundatus es? redime te pecunia tua. S. Ambr.

REFLEXIO.

VIlis quidem pecunia, sed pretiosa est misericordia. (f) Impossibile enim est, & si plura faciamus bona sine Eleemosyna Cœlestis Regni, vel vestibulum quidem attingere. (g) Ideoq; supplicem nullum spernas, & cui dare non potes, quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta; Coronat DEUS intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: non habeo. Charitas non de saculo erogatur. (h)

(a) *Eccl: 29. v. 15.* (b) *Ibid: v. 16.* (c) *Daniel:*

niel: 4. v. 24. (d) *Luc: 11. v. 41.* (e) *Tob: 4. v. 11.* (f) *S. Ambr de eleem:* (g) *Idem Tom: 22. in Joan.* (h) *S. Aug: super Psal: 103.*

DIE XVI.

INduite vos ergo sicut electi DEI, & dilecti viscera misericordiæ. (a) Misericordiam & miserationes facite unusquisq; cum fratre suo. (b) Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari. (c) Sed facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (d)

Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. S. Hier.

AFFECTUS.

BEatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. (e)

(a) *Collos: 3. v. 12.* (b) *Zach: 7. v. 19.* (c) *Ibidem v. 10.* (d) *Luc: 16. v 9.* (e) *Ps: 40. v. 10.*

DIE XVII.

MEDITATIO XXIII.

De Refrenatione Lingvæ.

SI quis putat se Religiosum esse non refrenans lingvam suam, hujus vana est Religio. (a) Nolite itaq; multum loqui, sicut Ethnici. (b) Quoniam omnia tempus habent. (c) Est tempus tacendi, & tempus

pus loquendi. (d) Mala aurea in lectis argenteis, qui loquuntur verbum in tempore suo. (e)

Religa lingvam tuam, si vis esse Religiosus, sine lingvæ religatione Religio vana est. S. Bern.

REFLEXIO.

DIscas prius audire quam audiri. Qui enim lingvam suam vanis, & otiosis verbis non coerceat, congreget per mortificationes, per jejunia, & per alia pœnitentiæ opera, qualescunq; meritorum manipulos in vanum laborabit. Conetur etiam ad perfectionis culmen ascendere, & mox cadet retrò. Studeat omni virtutum exercitio se excolere sine lingvæ custodia, & laterem lavabit, quoniam vana est Religio, & omnis conatus & labor, sine refrenatione lingvæ. (f)

(a) *Jacob* 1. *v.* 26. (b) *Math: 6. v. 7.* (c) *Eccl: 3. v. 1.* (d) *Ibid: v 7.* (e) *Prov: 25. v 11.* (f) *P. Abrah: à S. Clara serm.* 18.

DIE XVIII.

QUi multis utitur verbis, lædet animam suam. (a) Nam in multiloquio non deerit peccatum. (b) Vas enim, quod nō habuerit operculum, nec ligaturam desuper immundum erit. (c) Nunquid qui multa loquitur audiet: aut vir verbosus justificabitur? (d)

In sermone sis brevis. Si bonis fiat avidius auditur; Si malis: parum eos gravat. S. Thom. Aquin.

REFLEXIO.

O Quam verum est in verbis pluribus reperiri frequenter egestatem. Egestatem inquam, non tantum devotionis, sed insuper egestatem gratiæ, & meritorum. Cũ enim Spiritus Sanctus per os sapientis dicat: quod in multiloquio non desit peccatum; consequens est ut etiam non desit imminutio gratiæ, & meritorum; Siquidem cum gratia immediate peccatis opponatur, inferri debet necessariò ibi eo minus hanc reperiri, quo magis abundant peccata; Et quia meritum à gratia tanquam à suo fonte promanat, consequens est Religiosum illum parum de meritis possidere, cujus cor ob multiloquium gratiâ destituatur. (e)

(a) *Eccl*: 20. v. 8. (b) *Prov*: 10. v. 19. (c) *Num*: 19. v. 15. (d) *Job* 11. v. 2. (e) *P. Abr*: *à S. Clara serm*: 18. *num*: 6.

DIE XIX.

PRius quam audias, ne respondeas verbũ: & in medio Seniorum ne adjicias loqui. (a) Nam qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demònstrat, & confusione dignum. (b) Audi igitur tacens, & præ reverétia accedet tibi bona gratia. (c)

Et propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. (d)

Loqui & docere Magistrum condecet, tacere, & audire discipulo convenit. S. P. Bened.

R E F L E X I O.

CAve o Religiose! loqui inania, & nugatoria, & ad statum tuum minime pertinentia. Cave etiam, ne verba cæteroquin bona, tempore interdicto etiam in silentio proferas, sine urgente necessitate, si divinā tibi deminuere gratiam favoremq; non vis. Serva ergo hæc diligenter, & proculdubio multiplices versutissimi, ac hostis tartarei carnes laqueosq; quibus passim captivantur loquaces, declinabis evadesq;. (e) Quam multi Religiosi in plura peccata labi solent, silentium minime custodientes; & quantùm proin pœnarum gravissimarum, acervum in altera vita luendarum, sibi per ejusmodi peccata imponunt? Profectò experientur olim cum suo ingenti damno, ubi miserabiliter ingemiscent, ac plorabunt, quod tam parvi hæc otiosa vanaq;, & jactantiam olentia verba æstimârint, & cum facilè declinare potuissent, ex ignavia non fecerint. Cave tu. (f)

(a) *Eccl:* 11. *v.* 8. (b) *Prov:* 18. *v.* 13. (c) *Eccl:* 32. *v.* 9. (d) *Prov:* 22. *v.* 11. (e) *P. Abr: à S. Clara serm:* 18. *n.* 8. (f) *Idem ibid. n.* 15.

DIE XX.

NOli citatus esse in lingva tua. (a) Quia est odibilis, qui procax est ad loquendum. (b) Qui autem moderatur sermones suos, doctus, & prudens est. (c) Si bis interrogatus fueris, habeat caput respōsum tuum. (d) In multis esto quasi inscius, & audi tacens similiter & quærens. (e)

Male se attendit, qui lingvæ jugiter non attendit. S. Bonav.

REFLEXIO.

O Quotquot cum S. Arsenio non pœnituit locutos fuisse? at nunquàm tacuisse. Quamobrem o Religiose, si horres labi in graviora lingvæ peccata, si pertimescis exhorreasq; terribilia, ac varia pœnarum genera, in altero sæculo persolvenda; *Principiis obsta nam sero medicina paratur*, volo dicere: verba inutilia, & nugatoria longissimè à te proscribi, & os tuum præcinge ciliciô, sed non aliô, quàm illô, quod Vir Religiosus cuidam juveni svasit; Nam cum hic cilicium pro damnanda carne petiisset à Religioso, ille os digito signans dixit: *Vere mi juvenis optimum est cilicium vigilanter attendere, quid per ostium hoc egrediatur.* (f) Imitari stude.

(a) *Eccl: 4. v. 34.* (b) *Ibid: 20. v. 4.* (c) *Prov: 17. v. 27.* (d) *Eccl: 32. v. 11.* (e) *Ibid: v. 12.* (f) *Drexel in Phaet. c. 61. §. 3.*

DIE

DIE XXI.

HOmo ſapiens tacebit usq; ad tempus. (a) Tacitus enim, & ſenſatus honorabitur. (b) Imo & ſtultus, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. (c) Si igitur eſt tibi intellectus, reſponde proximo, ſin autẽ, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris. (d)

Nil loquaris quod tacuiſſe melius ſit. S. Bon.

REFLEXIO.

SI nondum ad otioſa verba declinanda fueris motus, tunc ſaltem te moveant irrationabilia animalia. Nam ut memorat Plutarchus: quod grues quando montem Taurum tranſvolant, accipiunt in roſtra ſua lapillum, ne ſe ſuîs clamoribûs prodant, & hoc ex metu, ne audiantur, & aquilarum illic degentium, inſidias incurrant, eisq; in prædam cedant, ſicq; ſibi os obturant, & in ſummo ſilentio, præfatum montem tranſeunt, ut ab aquilis audiri non poſſint. Quapropter diſce & tu, ab ſuis avibus, os tuum per lapillum ſilentii refrenare, ſi inſidias & ungves milvi infernalis declinandi deſiderio flagres, Quodſi feceris, ſecurè & pede illæsô, per hujus exilii montem, tranſies ad felicem æternitatem, ubi perpetuâ frueris pace. (e)

(a) *Eccl:* 20. *v.* 7. (b) *Eccl:* 21. *v.* 31. (c)

Prov:

Prov: 17. v. 28. (d) *Eccl: 5. v. 14.* (e) *Plutarch: de solert: animalium.*

DIE XXII.

CAve, ne appelleris susurro, & lingva tua ne capiaris, & confundaris. (a) Quoniam susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui permanserit odiosus erit. (b) Quare, ne certeris de ea re, quæ te non molestat. (c) Multi enim ceciderunt in ore gladii. (d)

Nam nulli tacuisse nocet nocet esse locutum. Cato.

REFLEXIO.

BEne notat S. Diadochus: Quod contingit balneis, idem accidit loquacibus: Si balnei ostium crebro patefiat calore, paulatim amissô frigescit; sic, si quis multa, sine necessitate loquitur, per oris januam, colorem internum, exire necesse est. (e) Cui cōsonat D. Gregor. M. dum docet: quot supervacuis verbis mens dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur, unde redire ad sui cognitionem, non sufficeit, quia per multiloquium internæ considerationis, vim amittit. (f)

(a) *Eccl: 5. v. 16.* (b) *Eccl: 21. v. 31.* (c) *Ib: 11. v. 9.* (d) *Eccl: 28. v. 22.* (e) *S. Diadochus de perfect: spirit. C. 70.* (f) *S. Greg: M. lib: 5. Moral.*

DIE

DIE XXIII.

EFfusus es sicut aqua. Non crescas. (a) Ubi vero sunt verba plurima, ibi frequenter egestas. (b) Quare verbis tuis facito stateram. (c) Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. (d) In lingva enim sapientia dignoscitur. (e) Sicut etiam ex fructu arbor agnoscitur. (f)

Ubi multum eloquentiæ, ibi parum sapièntiæ. Sallust.

REFLEXIO.

QUotidiana docet experientia, quod illæ urbes vel maxime hostium incursibus & periculis subjectæ sint, quæ absq; manibus, & vigili custodia existunt. Illæ Religiones, ac Provinciæ communiter devastantur, ac depopulantur, quæ vias, semitasq; apertas, habent; Sic nullum hominum genus tartareorum hostium insidiis, ita subjicitur, quàm verbosorum, & hi facile à satana triumphantur, ac ipsius potestati subiguntur secundum B. Albertum Magnum docentem: quod, *ubi non est taciturnitas, ibi homo de facili superetur.* Sicut enim Urbs patens, & absq; murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. (g)

(a) *Gen:* 49. *v.* 4. (b) *Prov:* 14. *v.* 23. (c)

Eccl:

Eccl: 28. v. 29. (d) *Math: 12. v. 37.* (e) *Eccl: 4. v. 29.* (f) *Math: 11. v. 33.* (g) *B. Albertus Magnus lib: de virt: cap: 31.*

DIE XXIV.

ATtende ne labaris in lingva. (a) Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicii. (b) Ecce mors & vita, in manibus lingvæ, qui diligunt eam, comedent fructus ejus. (c) Noli ergo verbosus esse. (d)

Refrena igitur lingvam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat. S. Chrysost.

AFFECTUS.

DIxi: custodiam vias meas: ut non delinquam in lingva mea. (e) Posui ori meo custodiam. (f) Ne me perdat lingva mea. (g)

(a) *Eccl: 28. v. 30.* (b) *Math: 12. v. 36.* (c) *Prov: 18. v. 21.* (d) *Eccl: 7. v. 15.* (e) *Psal: 38. v. 1.* (f) *Ibid: v. 2.* (g) *Eccl: 22. v. 33.*

DIE XXV.

MEDITATIO XXIV.

De Modestia.

EXemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. (a) Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. (b) Imitantur

tur autem illum, qui sunt ex parte illius. (c) Quare, unusquisq; vestrum, proximo suo placeat, in bonum, ad ædificationē. (d) *Ubi Christus, modestia quoq; est.* S. Gr. Naz.

REFLEXIO.

SErva corpus tuum, & membra eâ dignitâte, quâ decet, ne si ea quolibet levitatis studio injuriose tractaveris, quantò potiore præmio coronaveris? si ea digne tractasses, tantò majori supplicio subjicieris, si iis abusus indigne fueris. Oculi tui, oculi Christi sunt. Non igitur licet tibi, oculos Christi ad aliquas vanitates cōspiciendas dirigere, quia Christus est veritas, cui omnis falsitas contraria est. Os tuum, os Christi est, non debes, non dico ad detractionem proximi, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones aperire, quod ad solas laudes DEI, & ædificationem proximi, debes patulum habere. (e)

(a) *Joan: 13. v. 15.* (b) *Exodi 25. v. 40.* (c) *Sap: 2. v. 25.* (d) *Rom: 15. v. 2.* (e) *S. Ansel: in Meditat: cap: 5.*

DIE XXVI.

NOli negligere gratiam, quæ in te est. (a) Sed in omnibus, te ipsum præbe exemplum bonorum operum. (b) Quæcunq; sunt pudica, quæcunq; justa, quæcunquè Sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bo-

næ famæ, hæc cogitate. (c) Quia ſic eſt voluntas DEI, ut benefacientes; obmuteſcere faciatis imprudentiam hominum ignorantium. (d)

REFLEXIO.

INtùs eſt cuſtodia, quæ ſervat exteriùs membra; qui ergo ſtatum mentis perdidit, foris in inconſtantia motionis fluit, atq; exteriori mobilitate indicat, quod nulla interiùs radice ſubſiſtat. (e) Studeamus ergo modeſtiæ, nam ſtudiis, & exercitiis aſſimulatur anima, & qualia facit, talis formatur & figuratur. (f) Nebuloſa corporis compoſitio, & facies tenebris obſcurata triſtitiæ, devotionem ab animo receſſiſſe ſignificat. (g)

(a) 1. *Tim*: 4. *v*. 14. (b) *Tit*: 2. *v*. 7. (c) *Philipp*: 4. *v*. 8. (d) 1. *Petri* 2. *v*. 15. (e) *S*. *Gr*: 3. *Paſt*: *c*. 24. (f) *S*. *Baſil*: *ſerm*: *de humil*. (g) *S*. *Bernard*: *ſerm*: *de virt*: *obed*:

DIE XXVII.

ROgamus vos Fratres. (a) Ut quieti ſitis (b) Et ut honeſte ambuletis, ad eos, qui foris ſunt. (c) Quia ſpectaculũ facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. (d) Obſecro vos itaq;, per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti. (e) Induite vos ſicut electi DEI humilitatem. (f)

Ut

Ut modestia vestra, nota sit omnibus hominibus. (g)

Non notaculô corporis, sed innocentiæ, ac modestiæ signô, Religiosi dignoscimur. Minutius

REFLEXIO.

HÆc est modestia, & grata compositio, primùm non circumferre huc & illuc oculos, sed quæ, ante te sunt intuere, neq; varia, & otiosa loqui, sed necessaria tantum. (h) Sit magìs gravitas tibi in incessu, in sermone pondus, in verbis modus, hæc si custodieris, eris modestus. (i) Imo modestiam cum Religiosa hilaritate, prout tibi congruit, moribus ostende. (k) Nam modestia nos DEO, & hominibus charos efficit: *DEO quidem:* qui omnia operatur in pondere, & mensura, qui omnia suprema sapientiâ gubernat, & qui decorem rebus in omnibus servat. Ad hæc: nos perfecte efficit similes Salvatori mundi, qui prototypus est, ad quem omnes homines sese componere debent, & in quo nihil admirabiliùs enituit, quàm modestia. *Hominibus etiam:* nos jucundos facit, qui reverentur, & colunt eos, in quibus hæc virtus elucet. (l)

(a) *1. Thess: 4. v. 10.* (b) *Ibid: v. 11.* (c) *Ib: v. 12.* (d) *1. Cor: 4. v. 9.* (e) *2. Cor: 10. v. 1.* (f) *Coloss: 3. v. 12.* (g) *Philip: 4. v. 5.* (h) *S. Dorotheus serm: 24.* (i) *S. Bernard: de ord: vitæ,*

(k)

(k) *Thom: à Kemp: de exercit: ferm: c. 5.* (l) *P. Arnold: part: 3. de modestia argument: 2.*

DIE XXVIII.

AMictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis, enuntiant de illo. (a) Fatuus enim in risu, exaltat vocem. (b) Glorificate ergo, & portate DEUM, in corpore vestro. (c) Quoniam ex visu cognoscitur Vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. (d)

Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas. S. Isidor.

REFLEXIO.

MOdestia nostra, præstantissima est ratio, glorificandi DEUM. Etenim quemadmodum S. Paulus testatur: Nos sumus JESU Christi membra, videlicet mystici ejus corporis, quæ idcirco exhibere tenentur Corpus illius naturale modestiâ, quæ in sensuum, omnium facultatum, omniumq; corporis nostri motuum ordinata compositione, consistere debet; Ita, ut obtutus nostri modesti, verba, gestusq; mores ad JESU Xsti exemplar, composita sint, & quilibet dicere possit cum S. Paulo: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus; Spiritus ejus me animat; hic est veluti anima corporis mei.* Hoc pacto nihil in nobis erit, quod non glorificet DEUM. (e)

(a) *Eccl: 19. v. 27.* (b) *Eccl: 21. v. 23.* (c) 1. *Cor: 6. v. 20.* (d) *Eccl: 19. v. 26.* (e) *S. Nilus Abb: lib: 2. de modestia.*

DIE XXIX.

EXemplum esto Fidelium in verbo, in conversatione. (a) Ut in eo, quod detrahunt de vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam, in Christo conversati oneras. (b) Et ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquàm de malefactoribus ex bonis operibus, vos considerantes glorificent DEUM. (c)

Plerisq; justi aspectus, admonitio correctionis est. S. Ambr.

REFLEXIO.

IMitare S. Ephrem, de quo testatur S. Gregorius Nissenus: quod vultus ejus Angelicus idoneus erat, ut solus sine ulla oratione ad commiserationem intuentes commoveret. Nullus erat tam impudens, qui non intuens eum, pudore suffunderetur, atq; ipse melior, & modestior fieret. (d) Imitare & B. M. V. ad cujus modestiam S. Bernardus sic suos adhortatus est: *Obsecro vos Filioli, æmulamini hanc virtutem, si MARIAM diligitis, si contenditis eidem placere æmulamini modestiam ejus. Nihil enim tàm idoneum homini, nihil tàm congruum Religioso.* (e)

(a) 1. *Tim: 4. v. 12.* (b) 1. *Petri 3. v. 16.* (c)

1. *Petr:*

1. *Petr*: 2. *v*. 12. (d) *In Vita S. Ephr.* (e) *S. Bernard: super signum magn.*

DIE XXX.

SIc luceat lux vestra, coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. (a) Vos enim estis sal terræ. Non potest Civitas abscondi supra montem posita. (b) Relinquite igitur infantiam. (c) Curam magìs habe de bono nomine, hoc enim magìs permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi. (d)

Conversemur quasi DEI Templa, & DEUM in nobis constet habitare. S. Cyprianus.

AFFECTUS.

COnfige Domine timore carnes meas. (e) Quoniam finis modestiæ timor Domini. (f) Loquebar ut parvulus, (g) Sed exemplo didici disciplinam. (h)

(a) *Math*: 5. *v*. 16. (b) *Ibidem v*. 14. (c) *Prov*: 9. *v*. 6. (d) *Eccl*: 41. *v*. 15. (e) *Psalm*. 118. *v*. 120. (f) *Prov*: 22. *v*. 4. (g) 1. *Cor*: 13. *v*. 11. (h) *Prov*: 24. *v*. 23.

JULIUS.

DIE I.

MEDITATIO XXV.

De Tribulatione.

COnsolamini, consolami popule meus, dicit Dominus. (a) Quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego cōsolabor vos. (b) Ego, ego consolabor vos. (c) Nolito igitur timere, neq; conturbemini. (d) Novit enim pios de tentatione eripere. (e) Potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari. (f)

Nihil contra nos adversarius potest, nisi DEUS ante permiserit. S. Cyprian.

REFLEXIO.

GAude & exulta, quia quod tribulationis sustines, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris æternum est, leve est quod toleras, pondus est quod expectas. Gaude ergo pro tribulatione gloriam, pro levitate pondus, pro momentaneo recepturus æternum. (g) Transit enim citò, quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat. (h) DEUS suorum non est immemor, sed semper dat eis in tribulatione solatium. (i) Scito etenim, quia tribulatio expurgat animam, quæ rubiginem contraxit sordibus voluptatis. (k)

(a) *Isa: 40. v. 1.* (b) *Isa: 66. v. 13.* (c) *Isa: 31. v. 12.* (d) *Isa: 44. v. 8.* (e) *2. Petr: 2. v. 9.* (f) *Habr: 2. v. 18.* (g) *S. Petr: Dam: l. 8. Ep: 6.* (h) *S. Thom: à Vill: t. 2. Conc: funebr.* (i) *S. Ambr: sup: 2. Cor: 7.* (k) *S. Nil9 apud Bibl: PP.*

DIE II.

OMnes, qui volunt piè vivere in Christo JESU, persecutionem patientur. (a) Noli itaq; negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris. (b) Quem enim diligit Dominus, castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit. (c) Et quasi Pater in Filio, complacet sibi. (d)

Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. S. Aug.

REFLEXIO.

FLagellat omnem filium DEUS, quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abscondere? omnem, & nullus exceptus, nullus sine flagello erit; Quid est omnem? vis audire quem omnem? etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello. (e) Nam eos magìs DEUS in tribulationibus exercuit, quos æternô honore coronandos esse decrevit. (f) Scito enim: quando aliqua tribulatio tibi advenit, tunc Christus cum Cruce tibi obviat, & iter ad Cœleste Regnum, quò pergere debes, ostendit. (g)

(a) *2. Tim: 3. v. 12.* (b) *Habr: 12. v. 5.* (c) *Ibid:*

Ibid: v. 6. (d) *Prov: 3. v. 12.* (e) *S. Aug: in Pſ: 31.* (f) *Caſſiod: in Pſal: 77.* (g) *Thom: à Kemp: ſerm: 20. ad Novit.*

DIE III.

QUid turbati eſtis? (a) Nonne juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde? (b) Nonne tanquam filiis offert ſe DEUS? Quis enim filius, quem non corripit Pater? (c) Nunquid filii Sanctorum non ſumus, & vitam illam non expectam9? quam DEUS daturus eſt his, qui fidem ſuam, nunquam mutant ab eo. (d)

Annulus, ſignum eſt deſponſationis, tribulatio cum patientia, prædeſtinationis. Ludov. Bloſ.

REFLEXIO.

O quàm dulcis! quàm levis tribulatio! quàm dilecti ſuſtinerũt pro Chriſti Nomine. Lapides Stephano, craticula Laurẽtio, carbones ignis Vincentio, dulces fuerunt, quas quaſi lac pro Chriſto ſuxerunt. Sola enim humilitas cum ſpiritûs aviditate, novit ſugere tribulationem. (e) Scito etenim Religioſe, nullum ſervum Chriſti ſine tribulatione eſſe. (f) Qui enim tribulationem non patitur, Religioſus non eſt. (g)

(a) *Luc: 24. v. 38.* (b) *Pſal: 33. v. 19.* (c) *Hebr: 12. v. 7.* (d) *Tob: 2. v. 18.* (e) *S. Anton: Padv:*

Padv: Dom: inf: Oct: Nat. (f) *S. Aug: in Psalm: 55.* (g) *S. Hier: sup: Psal: 33.*

DIE IV.

NOli flere. (a) Si enim bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? (b) Meritò igitùr hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrū *Christum*. (c) Utinam intelligeres, quia multo minora exiguntur à te, quàm meretur iniquitas tua. (d) Reputantes igitur peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse. (e)

Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es, à numero Filiorum. S. Aug.

REFLEXIO.

CRedis tu evadere, ait Gerson: quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine Cruce, & tribulatione fuit? Nec enim DEUS, Christus Dominus noster, unâ horâ, sine dolore fuit, quamdiu vixit. Et quomodo tu aliā viam quæris, quam hanc Regiam viam, quæ est via S. Crucis? & in alio loco, sic fatur: Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & Religio; & videbis quod modicum sit, & penè nihil, quod nos agimus. Parum est, quod tu pateris in comparatione eorum,

rum, qui tàm multa passi sunt, tàm graviter tribulati. (f)

(a) *Job* 5. v. 26. (b) *Job* 2. v. 10. (c) *Gen:* 42. v. 21. (d) *Job* 11. v. 5. & 6. (e) *Judith:* 8. v. 27. (f) *Gers:* l. 2. c. 12. § 6. l. 1. c. 8. § 18. *lib:* 3. c. 19. § 13.

DIE V.

VAsa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. (a) Tentati sunt Patres nostri, ut probarentur, (b) Sic *Isaac*, sic *Jacob*, sic *Moyses*, & omnes, qui placuerunt DEO per multas tribulationes. (c) Quare, noli esse pusillanimus. (d) Quia tentat vos Dominus DEUS vester, ut palam fiat, utrum deligatis eũ. (e)

Gaudeat Christianus in adversis: quia aut probatur si justus est; aut si peccator est, emendatur. S. Aug.

REFLEXIO.

INtelligat Religiosus, medicum esse DEUM, & tribulationem esse medicamentũ, ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus, ureris, secaris, clamas, non exaudit medicus ad voluntatẽ, sed audit ad salutem. (f) Dic potiùs cum S. Bernardo: *Bonum mihi Domine magis tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis te amplecti, in camino habere*

habere te mecum, quam esse sine te, vel in Cœlo. (g) Audi, quid ad te ait S. Cyprianus: *Ego fidenter dico: quia minùs piè vivis, si minùs persecutionem pateris.* (h)

(a) *Eccl: 27. v. 6.* (b) *Judith: 8 v. 21.* (c) *Ibid: 23.* (d) *Eccl: 7. v. 9.* (e) *Deut: 13. v. 3.* (f) *S. Aug: in Psal: 21.* (g) *S. Bernard: ser: 17. sup: Qui habitat: &c.* (h) *S. Cypr: l. 6. Ep: 27.*

DIE VI.

NOn sunt condignæ passiones ad futuram gloriam. (a) Omnis disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris; postea autem fructum pacatissimũ exercitatis per eam reddet justitiæ. (b) Quoniam leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ põdus, operatur in nobis. (c)

Certa viriliter, sustine patienter, sine labore, non pervenitur ad Regnum DEI. Gers.

REFLEXIO.

NOn immerito Viri Sancti, utpote inter Christi servos numerari cupientes, summum demonstrârunt gaudium inter adversa, inter quos primatum tenet Doctor Gẽtium S. Paulus, qui de se ipso fatetur: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in cõtumeliis, in persecutionibus, in angustiis in Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet*

tet in me virtus Christi. (d) Et meritò hæc adversitatum genera, à Sanctis desiderari solent, quia est signum specialis amoris, quo DEUS suos prosequitur. *Quemadmodum enim annulus est signum desponsationis, sic adversitas est signum electionis Divinæ.* (e)

(a) *Rom: 8. v. 18.* (b) *Hebr: 12. v. 11.* (c) *2. Cor: 4. v. 17.* (d) *2. Cor: 12.* (e) *Lud: Bl: c. 8.*

DIE VII.

REcogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversus se ipsum contradictionem. (a) Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. (b) Non est enim servus major Domino suo. (c) Imo sufficit servo, ut sit sicut Dominus ejus. (d) Si igitur mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. (e)

Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut leviùs feras tua minima. Gers.

REFLEXIO.

TRibulationes assimilant nos Christo: uti S. Laur. Just: testatur dicens: *Assimilatur Christo patiens, quod est gloriosissimum, sicut enim gloriosum militi est, deferre arma Regis, sic est Religioso, portare stigmata Christi. Quanta est gloria sponsæ assimilari sponso? nihil gloriosius reputat, quàm Christi portare opprobrium.* (f) Stu-

de

de ergo Religiose sustinere tribulationes temporales, cum patientia, & gaudio.

(a) *Hebr:* 12. v. 3. (b) 1. *Petri* 2. v 22. (c) *Joan:* 15. v 20. (d) *Math:* 10. v. 25. (e) *Joã:* 15. v. 18. (f) *S. Laur: Just: de patient:* C. 2.

DIE VIII.

NEmo moveatur in tribulationibus istis. (a) Quoniam per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum DEI. (b) Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? (c) Beatus igitur Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. (d)

Delicatus es miles, si vis gaudere cum sæculo & postea regnare cum Christo. S. Hieron.

AFFECTUS.

LIbenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. (e) Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. (f)

(a) 1. *Thess:* 3. v. 3. (b) *Act:* 14. v. 21. (c) *Luc:* 24 v. 26. (d) *Jacob* 1. v. 12. (e) 2. *Cor:* 12. v. 9. (f) *Psalm:* 131. v. 14.

DIE IX.
MEDITATIO XXVI.
De Patientia.

PAtientia vobis est necessaria, ut volun tatem

tatem DEI facientes, reportetis promissionem. (a) Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. (b) Veni, sequere me. (c) Quia vobis donatum est in Xsto, non solum ut in eum credatis, sed ut etiã pro illo patiamini. (d)

Si non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum ceperis in Christo piè vivere. S. Aug.

R E F L E X I O.

NIhil DEO acceptiùs, nihil tibi salubriùs in mundo isto, quàm libentèr pati pro Christo. Siquidem si aliquid meliùs, & utiliùs saluti hominum fuisset. Christus utiq; verbo, & exemplo docuisset. (e) Si auté pati non vis, recusas coronari. Si vero coronari desideras, certa viriliter, sustine patientèr; sine labore non pervenitur ad requiem, & sine pugna non pervenitur ad victoriam. (f)

(a) *Habr: 10. v. 36.* (b) *1. Petr: 2. v. 21.* (c) *Math: 19. v. 21.* (d) *Philip: 1. v. 29.* (e) *Gers.* *§ 34.* (f) *Idem lib: 3. c. 14.*

D I E X.

AMen amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. (a) Et gaudium

dium veſtrum nemo tollet à vobis. ſb] Quare, in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut DEI Miniſtros, in multa patiētia, in tribulationibus. ſc)

Unde plangis? quod pateris; medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio. S. Aug.

REFLEXIO.

CUm perfrequens ſit, à DEO ſuos famulos, per varias injurias probari, ideò quilibet bonus Religioſus, ne animo concidat contra hanc injuriarum tempeſtatem, ſe bene munire debet; ante omnia autem ſatagere debet, ut injurias, à ſuiſmet ſuperioribus, vel probationis causâ, vel ob præcedentem culpam illatas, fortitèr ſuſtineat. Aurea doctrina Martini Dumnienſis eſt: *Admoneberis libentèr reprehenderis patienter. Si meritò objurgavit aliquis, ſcito quia profuit; ſi immeritò ſcito, quia prodeſſe voluit.* ſd)

ſa) *Joan: 16. v. 20.* ſb) *Ibid: v. 22.* ſc) 2. *Cor: 6. v. 4.* ſd) *Mart: Dumn: lib: de Vir: Card: Cap:* 3.

DIE XI.

TRibulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero ſpē. ſa) Ergo virilitèr age: & confortetur cor tuum. ſb) Ecce DEUS ipſe veniet, & liberabit vos ſc) Si moram fecerit expecta illum; quia veniens veniet, & non tarda-

tardabit. (d) Non confundetur populus meus in sempiternum. (e)

Merito deberes libentèr modicum pati pro Xsto, cum multi majora patiantur pro mundo. Gers.

R E F L E X I O.

SI digendum tibi esset, magìs optare deberes, pro Christo adversa pati, quàm multîs consolationibûs recreari, quia Christo similior esses, & omnibus Sanctis conformior. Non enim stat meritum nostrũ, & perfectus status nostri, in multis svavitatibus, & consolationibus, sed potiùs in magnis gravitatibus, & tribulationibus perferendis. (f)

(a) *Rmo: 5. v. 3. & 4.* (b) *Psalm: 16. v.* 14. (c) *Isa: 36. v. 15.* (d) *Habac: 2. v. 3.* (e) *Joel: 2. v. 26.* (f) *Gersen § 34.*

D I E XII.

SI exprobramini in Nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris gloriæ, & virtutis DEI, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet. (a) Ibant *Apostoli* gaudentes quoniam digni habiti sunt pro Nomine JESU contumeliam pati. (b) Cõmunicantes itaq; Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus, gaudeatis exultantes. (c)

Si vituperaris forte vilior es? minime. Quod es, hoc es, non vilior, sed Sanctior. Gers.

R E-

REFLEXIO.

SUnt mala, quæ vitare licet & necessum est: alia non itidem. potest enim in divinis non distractus esse, non indevotus, &c. Si summo studio omnem tepiditatem declinaveris: potes esse non ignavus, & otiosus, si cavebis. At si morbos ignominias sic declinare cupis, infelix eris; cum hæc sint subjecta, non nostro, sed alieno dominio. Quin etiam si talia aversari volumus, non possumus esse Christiani. Christus enim tales requirit discipulos, qui sese abnegent, paratiq; sint omni hora corpus offerre morti, persecutiones subire, Religionis, veritatis, justitiæ causâ. Quicunq; ergò ea studebit vitare; Christum negabit, veritatem perdet, justitiam deseret. (d)

(a) *1. Petri 4. v. 14.* (b) *Act: 5. v. 41.* (c) *1. Petri 4. v. 13.* (d) *Enchirid: Card: Aphoris 3. Bibliothec: Ascet: Pezii tom: 5.*

DIE XIII.

IN mundo pressuram habebitis; sed confidite ait Christus: *Ego vici mundum.* (a) Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis. (b) Hæc est enim grátia *DEI*, si propter DEI conscientiam, sustinet quis tristitias, patiens injustè. (c) Nam DEUS omnis gratiæ, modi-

cum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;. (d)

Quando DEUS dat alicui, ut mortuos suscitet, minùs dat, quàm cum dat donum patiendi. S. Chrysost.

REFLEXIO.

BEatus, ait S. Climacus: *qui propter DEUM quotidie maledictis, & convitiis lacessitus vim sibi fecerit: hic enim cum Martyribus tripudiabit, & Angelis parem confidentiam, & gloriam merebitur.* Hinc idem Vir Sanctus ait: *bibe summa alacritate objurgationes, atq; irrisiones, à quocunq; homine tibi propinatas, non alitèr quàm aquam vitæ; dotare enim te salubri potione, & per quam omnes animi lascivia, & luxuria purgetur.* (e)

(a) *Joan: 16. v. 33.* (b) *Jacob 1. v. 2.* (c) *1. Petri 2. v. 19.* (d) *Ibid: 5. v. 10.* (e) *S. Climac: Grad: 4.*

DIE XIV.

IN infirmitate, non despice te ipsum. (a) Infirmitas enim hæc, non est ad mortem: sed pro gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam. (b) Multiplicatæ sunt *ais* infirmitates. (c) Tantummodo esto Vir fortis. (d) Instruam te *ait Dominus* in via hac, quâ gradieris: firmabo super te Oculos meos. (e)

Si dixeris te non posse multa pati, quomodo sustinebis ignem Purgatorii. Gerson.

REFLEXIO.

DE duobus malis minus est eligendum. Ut ergo æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas, pro DEO æquanimitèr tolerare. Dispone & ordina omnia secundum tuum velle, & videre, & non invenies, nisi semper aliquid pati debere, aut spontè, aut invitè, & ita Crucē semper invenies. Aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritûs tribulationem sustinebis, interdum à DEO relinqueris, & interdum à proximo exerceberis, & quod majùs est, sæpe tibimet ipsi gravis eris, nec tamen aliquo remedio, vel solatio liberari, seu alleviari poteris, sed donec DEUS voluerit, oportet, ut sustineas. (f)

(a) *Eccl: 38. v. 9.* (b) *Joan: 11. v. 4.* (c) *Psal: 15. v. 4.* (d) *1. Reg: 18. v. 4.* (e) *Ps: 31. v. 8.* (f) *Gersen lib: 2. c. 12.*

DIE XV.

BEati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes. (a) Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis. (b) Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cælis. (c) Nolite *igitur* timere opprobri-

um hominum, & blaſphemias eorum, ne metuatis. (d)

In inſidiis, & calumniis, injuriam non patimur, ſed illi qui faciunt. S. Chryſoſt.

REFLEXIO.

MAgnum bonum patientia, & ideo neceſſarium! Eſt enim nobis cum DEO virtus iſta communis. Diligenda eſt homini, quæ DEO chara eſt. Videmus inſuperabili æqualitate patientiæ nocentibus, & innoxiis, Religioſis, & impiis, gratias agẽtibus, & ingratis. DEI nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum &c. & cum crebris, imò continuis exacerbetur offenſis DEUS indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem, patienter expectat. Cumq; habeat in poteſtate vindictam, mavult diu tenere patientiam. Patitur DEUS, & non vult homo pati? Nonne monſtrum hoc eſt? (e)

(a) *Math*: 5. v. 11. (b) *Ibid*: v. 12. (c) *Luc*: 10. v. 20. (d) *Iſa*: 51. v. 7. (e) *S. Cyprian*: *de bono patient*.

DIE XVI.

PAtientes eſtote, usq; ad adventum Domini: Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patientèr ferens, donec accipiat

at temporaneum, & serotinum. (a) Qui enim seminant in lachrimis, in exultatione metent. (b) Deprime igitur cor tuũ. (c) Et expecta Dominum. (d) Quia à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo, damnemur. (e)

Tolle Crucem tuam, & sequere JESUM, & ibis in vitam æternam. Gers.

AFFECTUS.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. (f)

(a) *Jacob 5. v. 7.* (b) *Psal: 125. v. 5.* (c) *Eccl: 2. v. 2.* (d) *Psal: 26. v. 14.* (e) *1. Cor: 11. v. 32.*

DIE XVII.
MEDITATIO XXVII.
De Confessione.

AUdite verbum Domini: percipite auribꝰ legem DEI. (a) Ecce Vir,, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atq;' deliquerint. (b) Confitebuntur peccatum suum. (c) Da ergo gloriam Domino DEO, & confitere, quid feceris, ne abscondas. (d)

Ascende

Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex; torqueat te timor, erumpat confessio. S. Isidor.

REFLEXIO.

NOvit omnia DEUS, sed expectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat. Non vult ut insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat; præveni accusatorem tuum. Si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis. Si te detuleris ipse, & si mortuus fueris revivisces. (e) Ergo si cupimus contra diabolum prævalere, accedamus sæpius corde humili, & cōtrito ad Confessionem. Ubi omnia levantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit. (f)

(a) *Isa: 1. v. 10.* (b) *Num: 5. v. 6.* (c) *Ibid: v. 7.* (d) *Josue 7. v. 19.* (e) *S. Ambr: lib. 2. de pænit:* c. 6. (f) *S. Bernard: in medit: c. 37.*

DIE XVIII.

NOn erubescas confiteri peccata tua. (a) Si enim confiteamur peccata nostra, fidelis est DEUS, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos, ab omni iniquitate. (b) Si autem pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. (c)

Damnaberis tacitus, qui posses liberari Confessus. S. Aug.

REFLEXIO.

CUr erubescis confiteri, quod te facere nequaquam erubuisti? meliùs est coram uno aliquantulùm tolerare, quàm in die judicii, coram tot millibus hominum, gravi repulsa denotatum tabescere. (d) Si times confiteri peccata, scito, quia peccator est qui audit peccata, sicut & tu; & forsitan major; homo est, nihil differt à te, nihil alienum habet à te. Cur ergo times, o homo peccator homini peccatori confiteri? elige quod vis, si confess9 taces, inconfessus damnaberis. (e) Sed si discooperis peccatum tuum, DEUS cooperit; si tu detegis, DEUS tegit. (f)

(a) *Eccl: 7.* (b) 1. *Joan: 1. v. 9.* (c) *Eccl: 2. v. 22.* (d) *S. Aug: lib. 2. de visit: infir.* (e) *S. Aug: serm: 30. ad Fratr.* (f) *S. Anton: Padv: serm. 4. Quadr.*

DIE XIX.

NOn demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. (a) Confiteberis vivens, vivus, & sanus confiteberis, & laudabis DEUM, & gloriaberis in miserationibus ejus. (b) Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius, convertentibus ad se! (c) Ite ergo, ostendite vos Sacerdotibus. (d)

Cessat

Cessat vindicta Divina, si confessio præcurrat humana. S. Bonav.

REFLEXIO.

CUr cessas aggredi, quod scias mederi tibi? multæ quidem animæ, & irrationales medicinas sibi divinitùs attributas, in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomalogesim sciens, præteribit illam? (e] O perversitas! non pudet inqvinari, & ablui pudet? (f) Narra ergo, si quid habes, ut justificeris. (g) Quia cor contritum, & humiliatum DEUS non despicit. (h] Unde quidam:

Pone gemens lachrimas humilis contunde cor tuũ.
Non tibi contritum Numina despiciunt.

(a) *Eccl*: 17. v. 26. (b) *Ibid*: v. 27. (c) *Ibidem* v. 28. (d) *Luc*: 17. v. 14. (e) *Tertul*: *lib*: *de Velam Virg*. (f) *S. Ber*: *Epist*: 185. *ad Esiechiũ*. (g) *Isa*: 43. v. 26. (h) *Psal*: 50.

DIE XX.

VAde, ostende te Sacerdoti. (a) Et cõfitere atq; indica mihi quid feceris, ne abscondas. (b) Qui enim abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus

fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. (c) Ecce fons patens, in ablutionem peccatoris. (d) Vade, lavare septies in Jordane, & recipiet caro tua *anima* sanitatem, & mundaberis. (e)

Non te pudeat coram uno dicere, quod non te puduit coram multis facere. S. Aug.

REFLEXIO.

COnfessio timida est in principio; sed quantò major est timor, tantò confidentiorem reddit confitentem. (f) Nam cõfessio *ut ait S. Augustinus:* est salus animarũ, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonũ. Quid plura? obstruit os inferni portas aperit Paradisi. (g) Confessio ut loquitur *S. Isidorus* sanat, confessio justificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit. In confessione locus misericordiæ. Nulla tam gravis culpa, quæ per confessionem non habeat veniam. (h) Nam cessat vindicta Divina, si confessio præcurrat humana. (i)

(a) *Math:* 8. *v.* 4. (b) *Josue* 7. *v.* 19. (c) *Prov:* 28. *v.* 13. (d) *Zach:* 13. *v.* 1. (e) 2. *Reg:* 3. (f) *Hugo Card: super Gen: c.* 44. (g) *S. Aug: lib: de pœnit.* (h) *S. Isidor. lib:* 1. *c.* 12 (i) *S. Bonav: l.* 2. *Pharetr: c.* 19.

DIE XXI.

COlligata est iniquitas *Efraim* absconditũ

pec-

peccatum ejus. [a] Dolores parturientis venient ei. [b] Quare, non confundaris dicere verum. [c] Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam. [d] Dic: verè ego peccavi. [e]

Ut tibi Cœlum aperiatur, aperi os tuum Sacerdoti; hæc sola est porta Paradisi. S. Aug.

REFLEXIO.

SI quotidie, quod saluberrimum est astiteris incruento Altaris Sacrificio, bellam habes occasionem pœnitentiæ quotidianæ per omnem Ecclesiam usu tundendi pectꝰ, cum adorationi, proponitur Agnus, in victimam peccati occisus ab Origine mundi. [f] Antequam autem adoraveris Agnum immaculatum, vade priùs reconciliari. Sed eheu! durum tibi Confessario noxas animæ detegere uni homini? tuo conservo? quē tui miseret? qui te solatur? quem pro te & mori delectat? qui te à vinculo peccati solvit, & liberat? Computa jam: quomodo distinctissime manifestabere coram omni mundo? DEO tuo? Domino tuo? Judice tuo? jam inexorabili? jam non alium, nisi te impœnitentem sempiternum damnaturo. [g]

[a] *Osee 13. v. 12.* [b] *Ibid: v. 13.* [c] *Eccl: 4. v. 24.* [d] *Ibi: v. 25.* [e] *Josue 7. v. 20.* [f] *S. Aug: de pœnit.* [g] *P. Ansel: Desing: c 3. §. 44. num: 5.*

DIE

DIE XXII.

PEccasti? (a) Vide igitur, & narra, si peccati habes, ut justificeris. (b) Ecce Sangvis Christi emundat vos ab omni peccato. (c) Quare, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. (d) Præocupemus faciem ejus in cõfessione. (e)

Millies peccasti, millies pœnitere, assidue infunde medicamenta. S. Chrysost.

REFLEXIO.

EXtra dubium est, justificari illum, qui delicta sua Sacerdoti potestatem habenti legitime confitetur; si enim teste S. Joanne: Confiteamur peccata nostra, DEUS fidelis est & justus, ut remittat nobis. (f) Hoc expertus est *David*, qui reprehensus à *Nathan* Propheta, super peccatum adulterii, & homicidii dixit: Et ecce! vix hanc voculam *peccavi* contrito corde prætulit mox audire meruit: Dominus transtulit peccatũ tuum. (g) Merito itaq; S. Ambros: ait: *Qui se accusat, etiamsi peccator sit, justus esse incipit, quia nec sibi parcit, & DEI justitias confitetur.* (h)

(a) *Eccl:* 21. v. 1. (b) *Isa:* 43. v. 26. (c) 1. *Joan:* 1. v. 7. (d) *Ibid:* 2. v. 2. (e) *Ps:* 94. v. 8. (f) *Ibid:* v. 2. (g) 1. *Joan:* 1. v. 9. (h) 2. *Reg:* 12. (i) *S. Ambr: super Psal.* 37. *Beati immaculati.*

DIE

DIE XXIII.

PEccásti? non adjicias iterum. (a) Relinque peccata tua. (b) Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. (c) Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. (d)

In quantum tibi non peperceris, in tantum tibi parcet DEUS, si melius mores cõmuteris. Tert.

REFLEXIO.

O! Nimia insania hominum! pudet sordes abstergere per confessionem, & non pudet contrahere ante confessionem? abstergitur caliga à luto, & contemnitur anima? (e) Millies peccasti, millies confitere. Confessio enim tantam habet vim, ut homines, variîs sordibus plenôs, transmutet in nive candidiores. Illis enim non Judex, sed Advocatus est Christus, qui se propria confessione damnârunt. (f) Dic potiùs cum affectu: *Quid timeo confiteri peccata mea? quid vereor opprobrii mei mentionem facere apud eum, cujus juditia dulcia sunt. Quod severum in aliis in Christo dulce est, & suave, quia ipse suavis est.* (g)

(a) *Eccls: 21. v. 1.* (b) *Ibide: 17. v. 21.* (c) *Joan: 5. v. 14.* (d) *Ezech: 18. v. 31.* (e) *S. Ant: p. 2.*

p. 2. t. 6. *de Acedia cap:* 13. (f) *Cassiodor: super Psal:* 31. (g) *S. Ambr: in Psal:* 118.

DIE XXIV.

DE propitiato peccato, noli esse sine metu, neq; adjicias peccatum, super peccatum. (a) Sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. (b) Et non erit vobis in ruinam iniquitas. (c) Surge ergo, qui dormis. (d) Et revertere ad Dominum. (e) Dicens: Cor contritum & humiliatum, DEUS non despicies. (f)

Tunde pectus, tunde quotidiè, ut exiliat, quæ intùs latet pestis. S. Aug.

AFFECTUS.

COnfitebor adversum me injustitiam meam Domino. (g) Recogitabo tibi *Domine* omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. (h) Quis *enim* in inferno confitebitur tibi? (i)

(a) *Eccl:* 5. *v.* 5. (b) *Ibid:* 21. *v.* 1. (c) *Eze:* 18. *v.* 30. (d) *Eph:* 5. *v.* 14. (e) *Eccl:* 17. *v* 23. (f) *Psal:* 50. *v.* 19. (g) *Psal:* 31. *v.* 5. (h) *Isa:* 38. *v.* 15. (i) *Psal:* 6. *v.* 6.

DIE XXV.

MEDITATIO XXVIII.

De Correctione Fraterna.

SI quis non obediverit verbo vestro, nolite

lite quasi inimicum existimare, sed corripite ut Fratrem. (a) Videte igitur, ne contemnatis unum ex his pusillis. (b) Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat. (c) Quoniam potens est DEUS, de lapidibus istis, suscitare filios Abrahæ. (d)

Plùs proficit amica correctio, quàm turbulenta accusatio. S. Ambr.

REFLEXIO.

NOn est prudentis errantes odisse; alioquin ipse sibi odio erit. (e) Paritèr errori obnoxius. Nec irasci: Nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem. *Abraham* divitem illum epulonem jam damnatum, & in inferno sepultum, qualiter affatus est? Non ajebat inhumane, crudelis, sceleste, &c. sed quid? Fili, accepisti bona in vita tua. (f) Animam enim afflictam, dicit: ne amplius contristare; sufficit illi supplicium suum. (g) *Abraham* illam damnatæ massæ particulam *Filium* nomine vocat: Tu saltem Hominem, conservum tuum, in eodē adhuc tecum stadio currentem, pro eadem tecum coronâ legitimè decertantem, nescius adhuc exitûs tui, miti verbulo dignare. (h)

(a) *2. Thess: 3. v. 14. & 15.* (b) *Math: 18. v. 10.* (c) *Ibid: v. 11.* (d) *Math: 3. v. 9.* (e) *Seneca de*

ca de ira 14. (f) *Luc: 16. v. 25.* (g) *S. Chryfost: Florileg: Hom: 5. tom: 6. Col: 599.* (h) *P. Desing: cap: 37. § 288. num: 1.*

DIE XXVI.

SI peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum, inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris Fratrem tuum. (a) Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum. (b) Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. (c)

Corripiendus est Frater tuus seorsum, ne si semel pudorem amiserit, remaneat in peccato. S. Hieron.

REFLEXIO.

OPortet correcturum, animos nosse hominum, & mores. Etenim morborum naturam nesciens, medici artem nunquam sciet. (d) Si quæ sunt corrigenda propter vitæ æternæ præmium, & ut magìs, ac magìs in vobis gratia DEI augeatur, solicite DEO adjuvante studeatis emendare: quia DEUS exigit ab omnibus, non solùm, quod male agunt, sed etiam quod non corrigunt mala, quæ corrigere possunt. (e) Et si experti estis, quia consiliô vestrô non corrigitur, sed læditur; meliùs est etiam, ut obmutuscendo, & silendo à bonis

cum

cum Propheta, secundum Apostolum: *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habeatis.* (f)

(a) *Math: 18. v. 15.* (b) *Ibid: v. 16.* (c) *Ib: v. 17.* (d) *S. Chrysost: Hom: 12. ad pop.* (e) *S. Anselm: l. 3. Ep: 142.* (f) *Rom: 12. v. 18.*

DIE XXVII.

SI præocupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui Spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. (a) Ne despicias hominem avertentem se à peccato, neq; impromperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione sumus. (b)

Cedendum illis est, dum adhuc fervet animus; tùm verò demum ubi ad se redierint, sunt objurgandi. Isocrates.

REFLEXIO.

MAnsvetudo si adhibetur parcè & latenter adhibeatur, ne advertat: præstat interim silentium, dum primus turbo deferbuerit. Id quod etiam in rebus lætis attendendum plerumq; est. *In convivio vini non arguas proximum, & non despicias eum in jucunditate illius.* (c) Quo in genere etiam hoc importunum est, eum arguere alterius defectus, qui forte venit ad te, re quâdam præclare gesta, laudemq; promeri-

meritus, aut expectans. Modus hic arguendi ingenuus non est. (d)

(a) *Gal: 6. v. 1.* (b) *Eccl: 8. v. 6.* (c) *Eccl: 31. v. 41.* (d) *Arcana Polit.*

DIE XXVIII.

SI quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum. (a) Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum. (b) Quare prædica verbum: insta opportunè, importunè argue, obsecra, in omni patientia. (c)

Facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. S. Gregor.

REFLEXIO.

PEccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imo omnes, qui norunt, & non devitant, aut cum possunt arguere dissimulant. Non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur, vel vitatur. (d) Tua patientia, alterius est mors quantò meliùs est, si irasceris, & corripis quàm non irascendo, interire permittis. (e) Est consentire, silere cum arguere possis, & scimus quod eadem pæna facientes maneat, & consentientes. (f) Qui non corripit cum potest,

&

& debet, communicat deliquenti, & particeps eſt peccati. (g)

(a) *Jacob 5. v. 19.* (b) *Ibid: v. 20.* (c) *2. Tim: 4. v. 2.* (d) *S. Ambr: in Ep: 1. ad Corinth.* (e) *S. Aug: ſer: 16. de Verb: Dom.* (f) *S. Bern: in Nativ: Joan: Bapt.* (g) *Dyon: Carth: ſuper 1. Corinth: 5.*

DIE XXIX.

QUi increpationes relinquit, errat. (a) Qui enim abjicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam. (b) Qui odit increpationes, inſipiens eſt. (c) Qui increpationes odit, morietur. (d) Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus. (e)

Quicunq; corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. S. Aug.

REFLEXIO.

CUjus aures veritati clauſæ ſunt, ut ab amico vera audire nequeant, hujus ſalus deſperanda eſt. Atq; illud abſurdum eſt, quod ii, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent vacare. Peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſtè ferunt: quòd contra oportebat delicto dolere, correctione gaudere. (f)

(a) *Prov: 10. v. 17.* (b) *Ibid: 15. v. 32.* (c)

Ibid: 12. v. 1. (d) *Ibid:* 15. v. 10. (e) *Ibid:* 29. v. 1. (f) *Cicero l. c.*

DIE XXX.

PErversi difficile corriguntur. (a) Plùs enim proficit correctio apud prudentē, quàm centum plagæ apud stultum. (b) Quoniam stultus non recipit verba prudentiæ: nisi dixeris ea, quæ in corde ejus versantur. (c) Quare, hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est. (d)

Quos corrigere non valemus, peccatis eorum nō communicemus. S. Aug.

REFLEXIO.

ADmoneri bonus gaudet, pessimus quisq; correptorem asperrimè patitur. (e) Nō amat pestilens eum, qui se corripit; nec ad sapientes graditur. (f) Tu verò crede te illi esse carum, à quo amicè reprehenderis. (g) Nec unquam reprehensionem obesse vel inimici, nam si vera objicit, ostendit, quod emendemus; sin falsa, quòd vitemus. Ita semper vel meliores reddit, vel cautiores. (h)

(a) *Eccl:* 1. v. 15. (b) *Prov:* 17. v. 10. (c) *Ibid:* 18. v. 2. (d) *Tit:* 3. v. 10. (e) *Seneca* 3. *de ira* 37. (f) *Prov:* 15. (g) *Vives introduct:* § 515. (h) *Ibid:* § 516.

DIE

DIE XXXI.

COrripe proximum, antequam commineris. (a) Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris, corripe justè. (b) Ne iterum addat facere. (c) Si pœnitentiam egerit, dimitte illi. (d) Peccantes autem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. (e)

Qui arguit, veritatem habeat ut cognitor, mansuetudinem ut Pater, justitiam ut Judex. S. Bern.

AFFECTUS.

O! quàm bonum est, correptum manifestare pænitentiam. (f) Qui acquiescit arguenti, glorificabitur. (g) Ehortamini, idem sapite, pacem habete. (h)

(a) *Eccl: 19. v. 17.* (b) *Eccl: 11. v. 7.* (c) *Ib: 19. v. 13.* (d) *Luc: 17. v. 3.* (e) *1. Tim: 5. v. 20.* (f) *Eccl: 20. v. 3.* (g) *Prov: 13. v. 18.* (h) *2. Cor: 13. v. 11.*

AUGUSTUS.

DIE I.

MEDITATIO XXIX.

De Zelo Animarum.

VIde ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. (a) Attendite vobis & universo gregi. (b) Quoniam, vos estis Presbyteri in populo DEI,

DEI, & ex vobis pendet anima illorum. (c) Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. (d)

Tot occidimus, quod ad mortem ire quotidiè tepidi, & tacentes videmus. S. Gregor.

REFLEXIO.

VÆ Presbyteris, curam animarum gerentibus, qui totum officium suum putant, vel dominari, vel corradere pecunias, vel etiam debachari artem artium, scilicet *Regere animas*, nec scire volunt, nec discere quærunt. Væ vobis duces cæci, & indocti, atq; inconstantes, qui vestium ornatu delectamini, & non lectione librorum sacrorum. (e) Vides imperitos Magistros? quæ docent, ipsi nesciunt: sitientes, potū præbent: egestate pressi, ditant. (f) Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. (g)

(a) *Coloss: 4. v. 17.* (b) *Actor: 20. v. 28.* (c) *Judith: 8. v. 21.* (d) *1. Tim: 5. v. 8.* (e) *S. Chrysost: serm: de Pseuproph: tom: 6. col: 39.* (f) *Idem serm: de Nativ: Dom: tom: 6. col. 418.* (g) *Ennius apud Cicer: lib: de Divinatione.*

DIE II.

BOnus Pastor Animam suam ponit pro ovibus suis. (a) In hoc enim cognovimus charitatem DEI, quoniam ille animā

suam

ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro Fratribus animas ponere. (b) Quoniam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. (c)

Omnium Divinorum diviniſſimum eſt, cooperari DEO, in ſalute animarum. S. Dyoniſ.

REFLEXIO.

EXamina te o Paſtor Religioſe! an & tu boni Paſtoris proprietatem poſſideas? vide, quam de ovium tibi creditarum ſalute ſollicitus ſis? an non plùs de temporalium rerum jactura, quàm de ſubjectorum defectibus angaris: Ubi eſt zelus tuus? *Boni Paſtoris eſt, non ſolum oves cognoſcere, ſed etiam à lupis defendere.* (d) Quæ poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit. (e) *Ecce grex perditus factus eſt populus meus* dicit Dominus. *Paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntq; vagari in montibus.* (f)

(a) *Joan. 10. v. 11.* (b) *1. Joan: 3. v. 16.* (c) *2. Cor: 5. v. 15.* (d) *S. Bonav: ſuper Luc: c. 6.* (e) *S. Greg: p. 1. c. 1.* (f) *Jerem: 50. v. 6.*

DIE III.

SI ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. (a) Nam qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates fulgebunt. (b) Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur

in Regno Cœlorum. (c) Maledictus autē, qui facit opus Domini fraudulenter. (d)

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandior ruina si peccant. S. Greg.

REFLEXIO.

SUnt multi, qui Presbyterium ambiunt, quibus cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non sordeat, crines calamistrii vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat vix imprimunt summa vestigia; tales cum videris sponsos magis mundi existimato, quàm Sacerdotes. (e) *Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe DEI rarus reperitur operator.* (f) Nonnulli Sacerdotes quamvis bene doceant, tamèn quia male vivunt, magìs inter mercenarios, quàm inter Pastores computantur. Quoniam quos bene docendo erudiunt, hos mali vivendi exemplo destruunt. (g)

(a) *Jerem:* 15. v. 19. (b) *Dan:* 12. v. 3. (c) *Math:* 5. v. 19. (d) *Jerem:* 48. v. 10. (e) *S. Hier: tom:* 1. *Epist:* 22. *ad Eustach:* (f) *S. Greg: Hom:* 17. *super Evang.* (g) *Haymo ser:* 2. *Dom:* 2. *post Pascha.*

DIE IV.

SOllicite cura te ipsum probabilem exhibere DEO; operarium inconfusibilem, recte tractantem Verbum veritatis. (a)

Pro-

Prophana autem, & vana eloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem. (b) Quare esto tu populo in his, quæ ad DEUM pertinent. (c) Si hoc feceris, implebis imperium Domini. (d)

Inter sæculares nugæ, sunt nugæ; in ore Sacerdotis, blasphemia. S. Bern.

REFLEXIO.

Attende: ex ore Sacerdotis nihil, nisi sanctum, honestum, & utile, procedere debet verbum, qui tàm sæpè Christi accipit Sacramentum. (e) *Sed modo egressa est iniquitas, à Senioribus, Judicibus, Vicariis tuis Domine, qui videntur regere populum tuum;* nõ est jam dicere: *ut Populus sic Sacerdos, quia nec sic populus ut Sacerdos.* Heu! heu! Domine, DEUS! quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. (f)

(a) *2. Tim: 2. v. 15.* (b) *Ibid: v. 16.* (c) *Exod: 18. v. 19.* (d) *Ibid: v. 23.* (e) *Gers: l. 4. de Imitat: Christi c. 11.* (f) *S. Bernard: serm: 1. de convers. S. Pauli.*

DIE V.

VÆ Pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ. (a) Vos dispersistis gregem meum, & dejecistis eos, & non visitastis eos; ecce ego DEUS, visitabo super vos malitiam studiorum vestro-

rum, ait Dominus. (b) Et ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam, ut ultra non paſcant gregem meum. (c)

Sacerdotes pro Populorum iniquitate damnantur, ſi eos ignorantes non erudiunt. S. Iſidor.

R E F L E X I O.

Qualis quisq; operarius fuerit, in fine apparebit, dum ſerò illud vitæ noſtræ venerit. Quàm felix ille operarius, qui primo, poſt mortem momento, quaſi veſpere facto, multos animarum manipulos offerre poterit Cœleſti Patrifamilias. Illo enim veſpere quid unusquisq; operatus fuerit oſtendetur. Ibi *Petrus* cum Urbe Roma, quam poſt ſe, Apoſtolica prædicatione traxit apparebit. Ibi *Paulus* cum tot Gentibus, quas peragravit, & Chriſti jugo ſubjecit, veniet. Tu vero, cum qualibus fructibus coram DEO, tuo Judice comparebis? quos ei laborum manipulos offeres? væ tibi! quantopere timere debes, ne cogaris illam terribilem audire ſententiam; *Diſcedite à me operarii iniquitatis.* (d)

(a) *Jere*: 23. v. 1. (b) *Ibid*; v. 2. (c) *Ezech*: 34. v. 7. (d) *Math*: 7.

D I E VI.

O Paſtor! & idolum, derelinquens gregẽ. (a) Super omnem faciem terræ diſperſi

spersi sunt greges mei, & non erat qui requiret. (b) Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum *Levi*: propter quod, & ego dedi vos contemptibiles, & humiles, omnibus populis. (c)

Quisquis peccantem Fratrem non arguit, quodammodo hortat, ut peccet. S. Ambr.

REFLEXIO.

PAstoris absentia lupis invadendi gregis occasionem præstat. (d) Sunt Pastores, qui Pastorum nomine gaudere volunt, Pastoris autem officium implere nolunt. (e) Quod enim de ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur. (f) Si incuria Pastoris, quædam ovis rationalis perierit, scito quia & ipse Pastor in æternum peribit, quoniam peccantem non arguit. (g)

(a) *Zach*: 11. *v*. 17. (b) *Ezech*: 34. *v*. 6. (c) *Malach*. 2. *v*. 8. & 9. (d) *S. Athan*: *in Apolog*: *ad Const*: *Imp*: (e) *S. Aug*: *de Past*: *c*. 1. (f) *S. Petrus Dam*: *l*. 4. *Ep*: 15. (g) *S. Joan*: *Chrysost*: *serm*: 57. *super Gen*.

DIE VIII.

VÆ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quid crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. (a)

Quia

Quia ergo tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. (b)

Quidquid præter necessarium victum & simplicem vestitum, de Altari retines, sacrilegium est. S. Bernard.

R E F L E X I O.

GReges Domini pascendos, Pastores facti suscipimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quod foveat, augeat nostras voluptates attendimus. (c) Pastor mercenarius est, qui bursæ lucrum, de Altari quærit, non animæ. (d) Is profectò in domo Patris non manebit in æternum. Si ergo & tu Pastor Religiose, temporalibus lucris inhias, si vanam captas gloriam; si honore terrenô plurimum delectaris; mercenarius es: recipis jam temporalem mercedem; noli sperare æternam in Domo DEI Patrisfamilias mansionem. (e)

(a) *Ezech: 34. v. 3.* (b) *Osee 4. v. 6.* (c) *S. Prosper l. 1. de vita contempl: cap: 1.* (d) *Petrus Blesen: Epist: 157.* (e) *S. Chrysost: de Past: ser: 4.*

D I E VIII.

PRo Christo legatione fungimur, tanquàm DEO exhortante per nos. (a) Vade ergo ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras. (b) Ministerium tuum imple. (c) Non enim coactè, sed spontaneè, secun-

cundum DEUM, neq; turpis lucri gratia, ſed voluntarie. Nam cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipientis immarceſcibilē gloriæ coronam. (d)

Sacerdos omnibus provideat, ſicut & DEUS, cujus fungitur vice. S. Chryſoſt.

AFFECTUS.

DA mihi animas *Domine.* (e) Quoniam zelo zelatus ſum, pro Domino DEO exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum peccatores. (f)

(a) 2. *Cor:* 5. *v.* 20. (b) *Exodi* 19. *v.* 10. (c) 2. *Tim:* 4. *v.* 5. (d) 1. *Petr:* 5. *v.* 3. & 4. (e) *Gen:* 14. *v.* 21. (f) 3. *Reg:* 19. *v.* 10.

DIE IX.

MEDITATIO XXX.

De Charitate Proximi.

HÆc mando vobis, ut diligatis invicem. (a) Et hoc mandatum habemus à DEO. (b) Quoniam à DEO didiciſtis, ut diligatis invicem. (c) Propter quod diligamus nos invicem, quia charitas ex DEO eſt; Et omnis qui diligit, ex DEO natus eſt. (d) Quoniam DEUS charitas eſt, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. (e)

Qui ſpiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit, niſi DEUM. S. Aug.

REFLEXIO.

MAgna hujus charitatis dignitas, quam utiq; noscemus, si nossemus recte quotidie orare, quod orare nos & docuit, & voluit, qui solus, quid doceat, novit: Dicimus autem communiter: *Pater noster, &c.* Quanta dignatio! Hoc dicit Imperator, hoc dicit mendicus; Hoc dicit Dominus, hoc dicit servus ejus; simul dicunt: *Pater noster, qui es in Cælis.* Intelligunt se esse Fratres, quando unum habent Patrem. (f) Quorsùm, nisi ut unam habeant charitatem.

(a) *Joan: 15. v. 17.* (b) *1. Joan: 4. v. 21.* (c) *1. Thessal: 4. v. 9.* (d) *1. Joan: 4. v 7.* (e) *Ibid. v. 16.* (f) *S. Aug: Hom: 42. ex 50.*

DIE X.

DIliges proximum tuum, tanquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est. (a) Nam diligere proximum, tanquam se ipsum, majus est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis. (b) Et majorem hac dilectionem nemo habet. (c) Omnis enim lex, in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. (d)

Dilectio sola discernit, inter Filios DEI, & filios diaboli. S. Aug.

RE-

REFLEXIO.

NIhil eſt pretioſiùs DEO, virtute dilectionis; nihil eſt delectabilius diabolo, extinctione charitatis. Quisquis enim ſeminando jurgia, dilectionem proximorum perimit, hoſti DEI familiarius ſervit. (e) Hinc admonet nos Apoſtolus dicens: *Nolite locum dare diabolo.* (f) Si vis computari inter Filios DEI, obſerva gradum charitatis, per quem certo aſcenditur ad amòrem DEI, & proximi, qui non aliter eſt diligendus, niſi propter DEUM. Scito etenim, ſicut fumus, eſt ſignum latentis intûs ignis; ita opera charitatis proximo exhibita, ſunt indicium degentis in anima amoris Divini. (g)

(a) *Marc: 12. v. 31.* (b) *Ibid: v. 33.* (c) *Joan: 15. v. 13.* (d) *Galat: 5. v. 14.* (e) *S. Greg: p. 3. c. 11.* (f) *Ephes 4. v. 27.* (g) *S. Proſper 13. de vit: cont.*

DIE XI.

NOn eſt ex DEO, qui non diligit Fratrem ſuum. (a) Imò qui non diligit, manet in morte. (b) Si autem diligamus invicem, DEUS in nobis manet, & charitas ejus in nobis eſt. (c) Omnia ergo quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. (d) Quod autem ab

alio

alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias. (e)

Talis esto aliis, quales optas esse alios circa te. S. Anselm.

REFLEXIO.

HÆc est proximi tota dilectio, ut bonũ, quod tibi conferri vis, velis & proximo; & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo; Dilectio enim sui, est optima mensura dilectionis proximi. Jam ergo debes metiri, si tantùm diligis proximum, quantùm te. Nonne dum tu delinquis, facile tibi parcis? nonne te apud temetipsum excusas? nonne libenter audis, quando apud alios est de te bona opinio? nonne indignaris, quando contemneris? Si ergo idem proximo tuo præstare studes, legem implevisti. (f)

(a) *1. Joan: 3. v. 10.* (b) *Ibid: v. 14.* (c) *1. Joan: 4. v. 12.* (d) *Math: 7. v. 12.* (e) *Tob: 4. v. 16.* (f) *S. Prosper l. 3. de vit: Contempl.*

DIE XII.

ANte omnia mutuam, in vobismetipsis charitatem continuam habete, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. (a) Imò universa delicta operit charitas. (b) Unusquisq; ergo proximo suo auxiliabitur. (c) In hoc enim cognoscent omnes,

quia

quia Discipuli mei estis DEI, si dilectionem habueritis ad invicem. (d)

Dilectio proximi hominem facit discipulum DEI. Non vis cito esse discipulus DEI? si non cito; timeo, ne sero! Petrus Blesen.

R E F L E X I O.

NEmo discipulus, & servus esse poterit Regis Cœlestis, nisi illum diligat; & quomodo diliget ipsum, sine dilectione proximi? Hinc S. Joannes ait: *Si quis dixerit quoniam diligo DEUM, & Fratrem suum odit, mendax est. 1. Joan: 4. v. 20.* Ergo quicunq; hôc vestimentô aureô à Christo indui, & inter ejus discipulos, numerari exoptat, sencerô suum Fratrem, prosequatur amore, & desiderata obtinebit. (e)

(a) *1. Petri 4. v. 8.* (b) *Prov: 10. v. 12.* (c) *Isa: 41. v. 6.* (d) *Joan: 13. v. 35.* (e) *Petrus Blesen: de amicit:* C. 18.

D I E XIII.

NEmini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. (a) Quoniam plenitudo legis, est dilectio. (b) Qui ergo diligit proximum, legem implevit. (c) Finis enim præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. (d) Quare, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. (e)

Nulla res DEO gratior est, quam ut universam

versam vitam ad commune commodum constituas. S. Chrysost.

REFLEXIO.

MUlti, à dilectione proximi deficiunt, qui de bonis, quæ habent, proximis necessitatem habentibus, subvenire non curant. (f) Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, aliquod malum faciendum est, sed pro utilitate, tamen indigentis opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum; hôc enim factô opus bonum non destruitur, sed in meliùs commutatur. (g)

(a) *Rom*: 13. *v*. 8. (b) *Ibid*: *v*. 10. (c) *Ibid*: *v*. 8. (d) 1. *Tim*: 1 *v*. 5. (e) *Galat*: 6. *v*. 3. (f) *S. Thom: de profect: vitæ spirit*: *c*. 14. (g) *Gers*: *l*. 1. *c*. 15.

DIE XIV.

NE avertas faciem tuam, à proximo tuo. (a) Nunquid non Pater unus omnium nostrum? Nunquid non DEUS unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisq; vestrum, Fratrem suum? (b) Nũquid non peccat, qui proximum suum despicit? (c) Patientes igitur estote ad omnes. (d) In charitate radicati, & fundati. (e)

Chari-

Charitas Religiosos, charitas Monachos facit, sine hac Monasteria sunt tartara. S. Hier.

REFLEXIO.

STude patiens esse, in tolerando aliorum defectus, & qualescunq; infirmitates, quia & tu multa habes, quæ, ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis, quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? igitur ne contra Fraternæ charitatis legem peccemus; Imitemur cervos, qui cum Insulas tranant, ita sibi mutuo capita inclinant, ut primus quando fatigatus est, post omnes recedat, & ipse pariter alteri caput inclinet, onus portandi proximè succedenti relinquens. (f) Si hoc cervi, quid Christiani? quid Religiosi? præsertim cum teste S. Augustino: *Nibil sic probet amicum, quam oneris amici portatio.* (g)

(a) *Eccl:* 41. v. 26. (b) *Math:* 2. v. 10. (c) *Prov:* 14. v. 21. (d) 1. *Thess:* 5. v. 14. (e) *Eph:* 3. v. 17. (f) *Gers:* l. 2. c. 3. § 2. (g) *S. Aug.*

DIE XV.

DIlectio proximi, malum non operatur. (a) Benedicite ergo, & nolite maledicere. (b) omnes enim vos Fratres estis. (c) Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent. (d) Ita

multi

multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. (e)

Propter hoc sumus congregati in unum, ut in servitio DEI, unum animum habeamus. S. Bernard.

REFLEXIO.

SI legem Christi de charitate adimplere cupimus, necesse est, ut onera, id est, irrisiones, vexationes, reprehensiones contumelias, & similia, à proximo suo nobis illata, heroicô sufferamus animô; qui secùs agunt, & se injuriis afficientes vicissim similibus gravant, non sibi persvadeant se diligere proximum, quia charitas sicut struthio, qui etiam ferrum digerere valet, omnia etiam durissima sufferre, & concoquere debet. (f) Hinc S. Paulus ait: *Charitas omnia suffert. 1. Cor: 13. v. 7.*

(a) *Rom: 13. v. 10.* (b) *Ibid: 12. v. 14.* (c) *Math: 23. v. 8.* (d) *Rom: 12. v. 4.* (e) *Ib: v. 5.* (f) *P. Abrah: à S. Clara ser: 6. num: 4.*

DIE XVI.

HOc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. *Deus* (a) Misit Filium suum propitiationem, pro peccatis nostris. (b) Charissimi: si DEUS dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. (c) Quare, ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. (d) Majorem,

rem, enim hâc, dilectionem, nemo habet, quam ut animam ſuam ponat, quis pro amicis ſuis. (e)

Non dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. S. Aug.

AFFECTUS.

ECce quam bonum, quam jucundum habitare Fratres in unum. (f) Quoniam placitum eſt, quæ ſunt probata coram DEO, & hominibus, concordia Fratrum & amor proximi. (g)

(a) *Joan:* 15. v. 12. (b) 1. *Joã:* 4. v. 10. (c) *Ibid:* v. 11. (d) *Ephes* 5. v. 2. (e) *Joan:* 15. v. 13. (f) *Pſal:* 132. v. 1. (g) *Eccl:* 25. v. 1.

DIE XVII.

MEDITATIO XXXI.

De dilectione Inimici.

DImittite, & dimittetur vobis. (a) Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis, Pater veſter Cœleſtis. (b) Si autem non dimiſerites hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. (c) Quoniam hâc menſurâ, quâ mẽſi fueritis, remetiatur vobis. (d)

Dum negas Fratri miſericordiam, tibi claudis Patris indulgentiam. S. Aug.

RE-

REFLEXIO.

CHristus JESUS docuit exemplo, præcepit tibi verbo ut inimicis ignoscas: Tu non ignoscis? ergo mendacem facis Filium DEI; negas, quod Magister professus est: nogas Christi exemplum, negas doctrinam, negas Christum in carne venisse. Aut si fecit illud in carne ipse Dominus? si cum ex palmaretur, voluit se vindicare? si cum in Cruce penderet, non dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*? Si autem ista dixit, qui potestatem habebat: Tu quid minaris, quid inflaris, in potestate aliena constitutus? Ille, quia voluit, mortuus est, & non minabatur. Tu nescis quando morieris, & minaris? (e) DEUS suam necē ignoscit suis carnificibus; & nos homines, non possumus ignoscere modicam injuriam nostris Fratribus? (f)

(a) *Luc*: 6. v. 37. (b) *Math*: 6. v. 14. (c) *Ibid*: v. 15. (d) *Luc*: 6. v. 38. (e) *S. Aug*; *tract*: 7. *in Epist*: *Joan*. (f) *Pènsees Cop*: 28.

DIE XVIII.

QUi dicit se in luce esse, & Fratrem suum odit, in tenebris est. (a) Qui enim non diligit, manet in morte. (b) Ne dicas: Quomodò fecit mihi, sic faciam ei. (c) Ne dicas: reddam malum pro malo. (d) Relinque proximo tuo nocenti te, &

tunc

tunc deprecanti tibi peccata solventur (e)

Remitte peccanti, ut cum peccaveris, repensetur in veniam. Petrus Chrysolog.

R E F L E X I O.

QUemadmodum omnium virtutum, excellentissima est charitas, ita universorum vitiorum, gravissimum est odisse proximum. Nam qui Fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus: *Qui odit Fratrem suum, DEUM ipsum odit.* Unde, si quis nescio, quæ virtutum exercitia obiret, ac pro DEI gloria atrocissima quæq; sufferret suppllicia, & interea foveret odium adversus Fratrem suũ, talis nec obolum mereretur.

(a) *1. Joan: 2. v. 9.* (b) *Ibid: 3. v. 14.* (c) *Prov: 24. v. 29.* (d) *Ibid: 20. v. 22.* (e) *Eccl: 28. v. 2.*

DIE XIX.

PAter *clamabit Christus* dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. (a) Et statim DEUS in Christo donavit. (b) Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me? (c) Nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, sicut & ego *DEUS* tui misertus sum? (d) Videte *igitur* ne quis malum pro malo, alicui reddat. (e)

Si ego DEUS prior dimisi, dimitte vel postea: si imitari non vis, exhæreditari disponis. S. Aug.

R E F L E X I O.

CHriſtus in Cruce pendens, clamabat dicens: *Pater ignoſce:* in aſperis clavis pēdebat; ſed lenitatem non amittebat. Attende ergo: magna pietas: Pendebat, & tamen petebat. Et non deſcendebat, quia de Sangvine ſuo medicamentum phreneticis faciebat. Deniq; poſt Reſurrectionem ſanavit, quos pendens inſaniſſimos toleravit. Et Sangvinem, quem fuderunt ſevientes, biberunt credentes: & facti ſunt ſequentes, qui erant perſequentes. Ecce, quare venit Chriſtus non perdere, quod invenerat, ſed quærere, & ſalvare, quod perierat; ut diligendo ſevientes inimicos, faceret credentes amicos. (f)

(a) *Luc:* 23. *v.* 34. (b) *Ephes* 4. *v.* 32. (c) *Math:* 18. *v.* 32. (d) *Ibid: v.* 33. (e) 1. *Theſs:* 5. *v.* 15. (f) *S. Aug: ſer:* 4. *de S. Steph: c.* 2.

D I E XX.

EſTo conſentiens adverſario tuo cito, dum es cum eo in via: ne fortè tradat te adverſarius judici. (a) Nunquid poteſt homo abſcondere ignem, in ſinu ſuo? (b) Sicut *Cain*, qui ex maligno erat, & occidit Fratrem ſuum. (c) Non enim dormiunt niſi cum male fecerint. (d)

Diſce

Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum. S. Aug.

R E F L E X I O.

ATtende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus! Ecce bonus Dominus tuus! Nocet tibi inimicus tuus malus: Ora pro inimico tuo dicit tibi Dominus tuus bonus. Inter inimicum tuum malum, & Dominum bonum, quid tu facturus es? contra hunc oraturus, aut huic obtemperaturus? suscipis ex præcepto Domini tui, orare pro maligno inimico tuo illo. Dominus jussit: Ecce dura jussit, amara jussit; vide quæ promisit: Orate pro persequentibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in Cœlis est. Pudet te orare pro inimico? saltim non pudeat fieri Filiū DEI. (e)

(a) *Math: 5. v. 25.* (b) *Prov: 6. v. 27.* (c) *1. Joan: 3. v. 12.* (d) *Prov: 4. v. 16.* (e) *S. Aug: serm: 254. de Temp.*

D I E XXI.

POsitis autem genibus clamavit voce magna *Stephanus* dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. (a) Estote ergo & vos invicem benigni, misericordes, donantes invicem. (b) Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. (c)

Nihil facit homines, ita DEO similes, sicut inimicis parcere. S. Chrysost.

R E F L E X I O.

ATtende quid ait Apostolus: *Qui odit Fratrem suum homicida est.* (d) Odis Fratrẽ tuum, & securus ambulas? & concordare non vis? non agnoscis, quare spatium tibi dederit DEUS? Ecce jam homicida es, & adhuc vivis. Si Dominum iratum haberes cum odio Fratris, subito rapereris ad orcum. Parcit tibi DEUS: Parce tu tibi: concordare cum Fratre tuo. (e) Discordare enim cum homine, est cum DEO discordare, qui fecit hominem. Vide an hoc tibi tutum sit. (f)

(a) *Act:* 7. v. 59. (b) *Ephes* 4. v. 32. (c) *Math:* 5. v. 44. (d) 1. *Joan:* 4. (e) *S. Aug. Hom:* 40. *ex* 50. (f) *S. Chrysost: serm:* 43.

DIE XXII.

NOn quæras ultionem, nec memor eris injuriæ. (a) Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ. (b) Qui enim vindicari vult, à Domino inveniet vindictam. (c) Quoniã Altissimus impiis, & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos, in diem vindictæ. (d)

Gloriosius est injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. S. Greg. Naz.

R E F L E X I O.

NIhil eſt periculoſiùs, quàm, qui vel unum habet inimicum. Nam & fama vitæ noſtræ millies læditur, cum ille nos apud omnes criminatur; & mens noſtra turbatur, & conſcientia, & tempeſtatem continuam in animis ſuſtinemus. (e) Leones aliquoties admiſerunt homines, qui ſpinam fauciatis pedibus eriperent: homines non patiuntur alios homines, qui ipſis inimicitias arripiant. (f)

(a) *Levit: 19. v. 18.* (b) *Eccl: 10. v. 6.* (c) *Ibid: 28. v. 1.* (d) *Ibid: 12. v. 4.* (e) *S. Chryſt: Hom: 22. ad Popul.* (f)

DIE XXIII.

DIligite inimicos veſtros. (a) Supportantes invicem, & donantes vobismetipſis. (b) Et erit merces veſtra multa, & eritis Filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt, ſuper ingratos & malos. (c) Si ergo eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. (d)

Cogita te non inimico, ſed tibi ipſi benefacere; non inimicũ diligere, ſed DEO obedire. S. Chryſ.

R E F L E X I O.

CHriſtus potuit uſq; ad extremum longâ patientiâ ſuſtinere, cibum cum inimico ſumere, hoſtem domeſticum ſcire, nec pa-

lam

lam ostendere, traditoris osculum non recusare. (e) Quid plura? etiam amicum vocavit. (f) Vocavit! solum ore putas? minime: sed etiam corde credidit. Non aliud in corde, aliud in ore Filio DEI: nõ fingebat: nec inventum est mendacium in ore ejus. (g)

(a) *Luc: 6. v. 27.* (b) *Coloss: 3. v. 13.* (c) *Luc: 6. v. 36.* (d) *Rom: 12. v. 20.* (e) *S. Cypr: L. de Bono patientiæ.* (f) *Matt: 26.* (g) *1. Petr 2.*

DIE XXIV.

SI diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligẽtes se, diligunt. (a) Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? (b) Etsi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. (c)

Amicos diligere omnium est: inimicos autem, solorum Christianorum. Tertul.

AFFECTUS.

RESpice *Domine* inimicos meos, quoniam odio iniquo oderunt me. (d) Sed ne statuas illis hoc peccatum. (e) Quia nesciunt quid faciunt. (f)

(a) *Luc: 7. v. 32.* (b) *Math: 5. v. 46.* (c) *Luc: 6. v. 33.* (d) *Psal: 24. v. 19.* (e) *Act: 7. v. 59.* (f) *Luc: 23. v. 34.*

DIE

DIE XXV.

MEDITATIO XXXII.

De Timore Mortis.

QUis est homo qui vivet, & non videbit mortem? (a) Nemo est qui semper vivat. (b) Non est in hominis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem, in die mortis. (c) Quoniam statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. (d)

Semel o semel! ah si liceret saltem bis! Esto. Si autem nescis, vel semel mori; qui scis bis?

REFLEXIO.

QUid enim quæso est vita nostra aliud? quàm cursus velocissimus ad mortem, ut recte dixit *S. Augustinus.* (e) Hinc meritò quilibet Christianus, deberet totum spatium præsentis vitæ, tanquam unam horulam reputare, atq; cum omni diligentia & fervore, ad felicem mortem, se præparare; sicq; rebus transitoriis uti, non frui, tanquàm eas celerrime relicturus. Ad quod hortatur Apostolus: *Tempus inquiens breve est reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* (f)

(a) *Psal; 88. v. 49.* (b) *Eccl: 9. v. 4.* (c) *Ib: 8. v. 8.*

8. v. 8. (d) *Hebr: 9. v. 27.* (e) *S. Aug: l. 3. de Civit: DEI.* (f) *1. Cor: 7.*

DIE XXVI.

OMnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertentur. (a) Non est enim reversio finis nostri. (b) Quoniam ibit homo, in domum æternitatis suæ. (c) O mors! quàm amara est, memoria tua! (d) Væ vobis Viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi; si mortui fueritis. (e)

Manet impios horror in exitu, pudor in conspectu Magni DEI. S. Bernard.

REFLEXIO.

VErùm enim vero, quamvis homini multum metuenda sit mors, ob dolores extrinsecos, quia teste Philosopho: *Omnium terribilium terribilissimum est mors.* Si tamen considerentur interni dolores animæ, ac dæmonum infestationes, multò magis hanc expavescere debemus. Joannes in Apocalypsi dicit: *Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet. Cap:* 12. Callidissimi, atq; nequissimi hostes animarum nostrarum dæmones, agnoscentes mortem esse terminum merendi, ac demerendi; & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere, in ipsa hora mortis

tis acerrimè tentant agonizantes. Quosdã enim conantur ad desperationem inducere, eos præsertim, quorum vita fuit negligens & iniqua. (g)

(a) *2. Reg: 14. v. 14.* (b) *Sap: 2. v. 5.* (c) *Eccl: 12. v. 5.* (d) *Eccl: 41. v. 1.* (e) *Ibid: v 11.* (f) *Apoc: 12.* (g) *P. Abr: à S. Cl: ser: 46. nũ: 4.*

DIE XXVII.

PRetiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. (a) Quoniam justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. (b) Nam timenti DEUM, bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. (c) Moriatur ergo anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia. (d)

Homo ut bene moriaris, manum admove, & fiet. Nam mors bona, non nascitur, sed fit.

REFLEXIO.

HOc votum est omnium: o ut bene moriar! sic fit. Multi vitam odio habent, & tamen mori timent. Pauci volunt mori; omnes bene, etiàm tu. (e) Minùs mortem timet, qui minùs deliciarum novit in vita. (f) Attende: mortem ut nunquam timeas, semper cogita. (g) Mors peccatorum pessima. (h) Licet vita videatur amæna. (i) Quæso tandem, desine peccare, & desinere potes timere. (k)

(a)

(a) *Psalm: 115. v. 15.* (b) *Sap: 4. v. 7.* (c) *Eccl: 1. v. 13.* (d) *Nom: 23. v. 10.* (e) *S. Isidor: l. 3. de morte.* (f) *Vigerius.* (g) *Seneca Ep: 30.* (h) *Psal: 33.* (i) *Hugo in Psal: 33.* (k) *S. Ans: Hom: 23.*)

DIE XXVIII.

Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. (a) Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum, erunt vermes. (b) Heu! dies mei, sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fænum arui. (c) En morior: quid mihi proderût primogenita? (d) Quoniam in medio dierum meorum vadam ad portas inferi: (e)

Bene est, quod timeas mortem, sed eam mortẽ debes timere, quam tibi ipsi facis. S. Aug.

REFLEXIO.

HÆc est una, & tàm grandis mutatio, quâ majorem in natura non est invenire. Quidquid modo habes, agis; tunc non habebis, non ages. Comedis? tunc devoraberis. Quid autem tunc? o sales! Lusus vermium es, horror hominum. Quidquid carum & charissimum est, sine quo nec posse esse vivus putas, certe esse sine omni illo mortuus debebis. Quem enim non movet, cum videt tantam speciem, tantam pulchritudinem, tantumq; decorem, hominem formatum resolvi in pulveres, ossa dispergi, terram terræ mandari? (f)

(a)

(a) *Job: 17. v. 1.* (b) *Isa: 14. v. 11.* (c) *Ps: 101. v. 12.* (d) *Gen: 25. v. 32.* (e) *Isa: 38. v. 10.* (f) *S. Aug: 13. Civit: 11.*

DIE XXIX.

SI ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit ibi erit. (a) Mortuus est *David* in senectute sua bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria. (b) E contrà verò, mortuus est *Zambri* in peccatis suis, quæ peccaverat, faciens malum coram Domino. (c) Et sepultus est in inferno. (d) Dispone igitur domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. (e)

Fac modo, quæ moriens, facta fuisse voles. Martialis.

REFLEXIO.

QUod in ipsa morte vis, & debes agere, hoc age dudum ante. Contritio de peccatis, sincera proposita; refusio voluntatis in DEI jussum, ac nutum, sine hæsitatione Fidei, spei, & maximè charitatis, stimuli sint, in animo tuo assidui. Si hæc neglexeris in illo momento ad pectus tuum, nescio unde venient vera contritio, charitas in DEUM, & similes virtutes, in via vel nunquā sincere, aut ita remissè exercitæ, ut desierint? Quis credat? (f) Nam æquissime percutitur hac animadversione pecca-

peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est DEI. (g)

(a) *Eccl: 11. v. 3.* (b) *1. Paralip: 29. v. 28.* (c) *3. Reg: 16. v. 19.* (d) *Luc: 16. v 22.* (e) *Isa: 38. v. 1.* (f) *Biblioth: Ascet: Pezii tom: 5. pag. 284.* (g) *S. Laur: Just: de contept: mundi. c. 15.*

DIE XXX.

NEscit homo finem suum. (a) Dum dixerint pax, & securitas: tunc repentinus eis supetveniet interitus. (b) Quare in omnibus operibus tuis, memorare novissima tua. (c) Si ergo non vigilaveris, veniam ad te, *ego DEUS*, tanquam fur. (d) Et in interitu tuo ridebo, & subsannabo. (e)

Moriar: forte non modo? sed ludis homo! morieris: & forte modo. S. Aug.

REFLEXIO.

NEscis quando veniet ultimus dies. Ingratus es; quia hodiernum habes, in quo corrigaris. (f) Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. (g) Sic debes vivere, ut dies præsentes sint tibi meliores, quam præteriti. (h) Debes enim quotidie fieri, non pejor, sed melior. Antequam autem iter suscipias æternitatis, de viatico cogita. Habes viaticum grande, Annonam illam Sacramentalem. Itaq; crebrius Eucharisticum epulum, in penum cordis tui recollige; ut nunquam mors inveniat

veniat egentem. Dum pulsat mors, dum vocat, tu voca, qui animæ tuæ curam agat. Noli tergiversari: *Citius enim diabolus venit ad infirmum, quàm Sacerdos quantumcunq; acceleret.* (i) Jam jam moriturus dic cum Propheta: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS.* (k) Item: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* (l)

(a) *Eccl: 9. v. 12.* (b) 1. *Thess: 5. v. 3.* (c) *Eccl: 7. v. 40.* (d) *Apoc: 3. v. 3.* [e] *Prov: 1. v. 25.* (f) *S. Aug: tract: 33. in Joan.* (g) *Idem Hom: 13. ex 50.* (h) *Glossa.* (i) *Hugo in Psal: 109.* (k) *Psal: 72. v. 1.* (l) *S. Paulus Apost.*

DIE XXXI.

UMbræ transitus, est tempus nostrum. (a) Noli ergo stultus esse, ne moriaris in tempore non tuo. (b) Sed quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quò tu properas. (c) Quare, ante mortem bene fac. (d) *In omni opere suo dicant sibi ipsius: si moriturus modo esses, faceres istud?* S. Bernard.

AFFECTUS.

LIgnum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Homo autem cum mortuus fuerit, & nudatus atq; consumptus ubi quæso est? (e)

(a) *Sap:* 2. v. 5. (b) *Eccl:* 7. v. 18. (c) *Ibid:* 9. v. 10. (d) *Eccl:* 14. v. 13. (e) *Job* 14. v. 10.

VIA UNITIVA

Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. 1. *Cor:* 6.

SEPTEMBER.

DIE I.

MEDITATIO XXXIII.

De Intentione.

OMne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti facite, gratias agentes DEO, & Patri, per ipſum. (a) Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. (b) Quoniam Dominus propter ſemetipſum operatus eſt. (c)

Vis ſemper laudare DEUM, bene fac omnia, & laudaſti DEUM. S. Aug.

REFLEXIO.

MErito Salvator noſter docet: *Lucerna corporis tui eſt oculus.* (d) Si oculus tuus fuerit ſimplex, (*id eſt intentio tua recta & bona*) totum corpus tuum erit lucidum, id eſt: *actiones tuæ virtuoſæ & DEO grata erunt.* Si autem oculus tuus fuerit nequam? (*ſcilicet per intentionem pravam*) totum corpus tuũ

tenebroſum erit, id eſt: *actiones tuæ quantumvis bonæ appareant, peccaminoſæ erunt.* Hinc ortum commune axioma: *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.* Si hæc deeſt, opera noſtra mortua erunt, teſte Richardo dicēte: *Quod eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus, ſine intentione bona.* [e)

[a] *Col: 3. v. 17.* [b] 1. *Cor: 10. v. 31.* [c] *Prov: 16. v. 4.* [d] *Math: 6. v. 22.* [e] *Richar: de ſtat: inter homin. c. 7.*

DIE II.

AMbuletis digne, DEO per omnia placētes, in omni opere bono fructificantes. [a) Non quaſi hominibus placentes, ſed DEO, qui probat corda noſtra. Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placētes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem DEI, ex animo. [b]

Multa videntur bona, quæ non ſunt, quia bono animo non fiunt. S. Greg.

REFLEXIO.

PArturiunt homines multa opera ſua: quædam quidem bona, alia vero mala. Sed ſi quis interroget, quid de fætu judicem? huic reſpondebo: affectus tuus, nomen imponit operibus, quomodo à ſe proficiſcitur, ſic æſtimatur. [c) Bona quantumvis agas, mente bona non agis, mala ſunt. Muta cor, & mutabitur opus. [d]

[a] *Col*: 1. v. 10. [b] *Ephes* 6. v. 6. [c] *S. Ambr*: *in Offic*: 30. [d] *S. Aug*: *ser*: 12. *de Verbo Dom.*

DIE III.

OMnes quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU Christi. [a] Quidam propter invidiam, & contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem, Christum prædicant. [b] Væ! homini duplici corde, & labiis scelestis. [c] Quoniam mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui est in Cœlis. [d]

Perit omne bonum, quod non facit propter suum bonum.

REFLEXIO.

QUàm æquum est ergo omnibus suis actionibus, bonam præfigere intentionem! Nam profectò si quis virgam haberet, quæ lapides in aurum converteret, omnem diligentiam, in hac virga custodienda, & usurpada adhiberet; ita cum similem effectum bona intentio habeat, omnesq; actiones nostras aureas, & meritorias efficiat, merito ad singulas, aut potiores ejusmodi actiones, extendenda est. [e] Fecit hoc è priscis Patribus Asceta quidam, qui quotiescunq; operis aliquid erat aggressurus, subsistebat aliquantisper cogitanti similis. Interrogatus, quid hoc ageret, *opera nostra* respondit, *ex se nulla sunt, velut infirmis trabs,*

nisi

nisi recto fine sinceraq; intentione, velentur ac vestiantur. (f) Merito itaq; hic *S. Asceta* piā intentionem suis laboribus præmisit; probè enim noverat, quod postmodum *S. Bernardus* docuerat, quòd videlicet, sicut decor corporis in facie; ita decor totius operationis animæ consistat in intentione. (g) Hinc S. David ait: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* (h);

(a) *Philipp: 2. v. 21.* (b) *Ibid: 1. v. 15.* (c) *Eccl: 2. v. 14.* (d) *Matt: 6. v. 1.* (e) *Drexel in amussi.* (f) *Idem ibid: lib: 1. c. 1. § 3.* (g) *S. Bernard: in Sent.* (h) *Psalm: 44. v. 14.*

DIE IV.

NOli offerre munera prava, non enim suscipiet illa DEUS. (a) Dona enim impiorum, non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. (b) Sed oblatio justi, impingvat altare, & odor svavitatis est in conspectu Altissimi. (c)

Oblata DEO, non pretio; sed affectu pensantur. S. Salvianus.

REFLEXIO.

VErùm advertere hic debemus, quòd DEUS semper magis respiciat intentionem & affectum laborantis, quàm ipsum opus. Unde Gregorius Magnus ait: *DEUS cor, &*

non substantiam pensat: nec cogitat quantùm, sed ex quanto quis operetur. Hinc egregiè Theologus quidam dixit: *Christianos Cœlum non per verba, sed per adverbia adipisci; quia non tàm quid faciant, sed quàm bene attendit DEUS.* Et ut Salvianus ait: *Oblata DEO non pretio, sed affectu placent.* Hinc vidua illa Evangelica teste ipsomet Christo, plus dedit, dum duos nummos, ad Sacrarium posuerit, quàm reliqui omnes Sacerdotes, & Pharisæi & si magnum auri, argentiq; cumulum congesserint: quia illa dedit intentione præstantissima, quâ reliqui caruerunt. (d)

(a) *Eccl: 35. v. 14.* (b) *Ibid: 34. v. 23.* (c) *Ibid: 35. v. 8.* (d) *Drexel: in amus: l. 2. c. 8.*

DIE V.

MAne semina semen tuum, & vespere cesset manus tua. (a) Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam si seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. (b) Spiritu igitur ambulate. (c) Et DEO dignas oblationes offerte. (d)

Tot, & tanta potes pro auro, pro lucro, pro sæculo? cur nō potes pro DEO, lucro inaudito? Tert.

REFLEXIO.

IN cunctis operibus quicunq; animæ suæ salutem exoptat, intentionis suæ compo-

hat obtutum, & ad illum, quem Divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore, neq; pro terreno lucro, aut vana gloria desudet. (e) Diligenter etiam cavere debemus, ne aliqua pia exercitia prætermittamus eò, quòd forsan ab aliis visi laudemur, seu vituperemur, sed dicere oportet suis cogitationibus cum S. Bernardo, quia, *neq; incæpi propter hominem me laudantē, neq; propter hominem me propterea vituperantem, sed propter DEUM incæpi, ideo & propter DEUM finiam.* Nihil enim officit, & si videamur, imò videri debemus; ut ait S. Greg. *Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli DEO placere quærimus semper optemus secretum.* (f)

(a) *Eccl: 11. v. 6.* (b) *Gal: 6. v. 8.* (c) *Ib: 5. v. 8.* (d) *Eccl: 6. v. 8.* (e) *S. Laur: Just: de Regim: Prælat. c. 22.* (f) *S. Gr: Hom: 11. in Ev.*

DIE VI.

QUærite DEUM, & vivet anima vestra. (a) Quærite Faciem ejus semper. (b) Quoniam non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœ-

lorum. (c) Quoniam gloria, & honor, & pax, omni operanti bonum. (d)

Memento, quia Regnum Cælorum, non tepidi Christiani, non desides Religiosi, sed violenti rapiunt. S. Aug.

REFLEXIO.

PRoh dolor! quotquot reperiendi sunt etiam ex ipsis Religiosis, qui vix unquam in die operibus suis, rectam intentionem præmittant; sed aut ex vana gloria, aut ex consvetudine, aut ex omni inconsideratione cæcoq; impetu, suos aggrediantur labores. Hi profectò, dum ipsis magnus ille æternitatis dies orietur, oculos suos, sed tardè levabunt, suamq; infelicitatem, ac cæcitatem in cassum gemebundi deplorabunt dicentes: *Heu miseri nos! laboravimus quidem per totam noctem vitæ nostræ, afflictiones innumeras toleravimus, præ fatigatione in labore sudavimus, & quid cæpimus? heu pudet fateri, quia nihil!* Quare? *quia omni intentione rectâ destituti eramus; Hinc omnia opera nostra in auram abierunt.* Quamobrem ne & tu Religiose in hæc, & similia incidas lamenta, & ne cum S. Petro cogaris exclamare: *Tota nocte laborantes, nihil cæpimus; Duc* nunc (ut Salvator eidem Apostolo imperavit) *rete tuum*, volo dicere, intentionem tuam, *in altum* ad Cœlestia, & ad ipsum DEUM, & magnam capturam piscium æternorum præmiorū comprehendes.

(a)

(a) *Psalm: 68. v. 33.* (b) *Ibid: 104. v. 4.* (c) *Math: 7. v. 21.* (d) *Rom: 2. v. 10.* *P. Abrah: à S. Clara serm: 28. num: 6.*

DIE VII.

LUcerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. (a) In bono igitur oculo adinventionem facito manuum tuarũ. Quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. (b) Bono animo gloriam redde DEO, & non minuas primitias manuum tuarum. (c)

Sanctum non est, quod agitur sanctum; nisi sanctè, quod sanctum est peragatur. Origen.

REFLEXIO.

SI vis, ut omnes actiones, & opera tua sanctè peragantur, demerge, & depone illa sæpius in vulneribus Christi, asperge illa Sangvine Cordis JESU, offer per manus Beatissimæ, operibus & meritis Sanctorum unias, & sancta fient. Demum in omnibus locutionibus, actionibus, & cogitationibus, dic tibi, ut monet S. Bernard: *itane ageres si hanc scires, procerto horam novissimam, imo omnia opera tua ita fac, ac si jam tibi sepulchrum foderetur.* (d)

(a) *Matt: 6. v. 22.* (b) *Eccl: 35. v. 13.* (c) *Ibid: v. 10.* (d) *S. Bernard: serm: de oper.*

DIE

DIE VIII.

QUid prodest ei, quòd laboravit in ventum? (a) Nonne unus DEUS, & mediator DEI, & hominum, Homo Christus JESUS. (b) Nunquid ego dicit DEUS non sum *Alpha*, & *Omega*, principium & finis? (c) Honora igitur Dominum de tua substatia, & de primitiis omnium frugum tuarum, da *illi*. (d)

Tota ratio vivendi hominis Christiani, unum scopum habet; gloriam DEI. S. Basil.

AFFECTUS.

GLoriam meam alteri non dabo. (e) Soli tantùm DEO honor, & gloria in sæcula sæculorum. (f)

(a) *Eccl: 5. v. 15.* (b) *1. Tim: 2. v. 5.* (c) *Apoc: 1. v. 8.* (d) *Prov: 3. v. 9.* (e) *Isa: 42. v. 8.* (f) *1. Tim: 1. v. 7.*

DIE IX.

MEDITATIO XXXIV.

De Oratione.

ANte Orationem, præpara animam tuam. (a) Quoniam hominis est animam præparare, & Domini gubernare lingvam. (b) Quia spiritus est DEUS, & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare. (c) Si ita mundus, & rectus incesseris, statim evigilabit ad te. (d)

Vis

Vis loqui cum DEO? attende sis. Vis audiri! te ipsum prius, quid loquuris, audi. S. Ephrem.

REFLEXIO.

MAgnam injuriam DEO facis, cum eum precaris, ut tuam precem audiat, quam tu, qui fundis, non audis; deprecaris illũ, ut tibi intendat, tu vero nec tibi, nec illi intendis. (e) Disce o Religiose cum summa reverentia, confidentia, attentione, resignatione orare: adde lacrymas & suspiria, nec externa reverentiæ, & humilitatis signa intermitte. Quoties ergo orationem tuam dicere vis, dic Christo cum Apostolo: *Magister doce nos orare*; ut verba tua quibûs orandum docuisti eo spiritu proferam, ut Pater tuus ea audire, & exaudire dignetur.

(a) *Eccl: 18. v. 23.* (b) *Prov: 16. v. 1.* (c) *Joan: 4. v. 24.* (d) *Job 8. v. 6.* (e) *S. Bernard: l. de anima.*

D I E X.

ORationi instate vigilantes. (a) Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis. (b) Et si ille perseveraverit pulsans, & si non dabit illi *DEUS* surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios. (c)

Non deficias in Oratione, DEUS quod promisit concessurus est. Et si differt, non aufert. S. Aug.

RE-

R E F L E X I O.

CAve ne ab oratione deficias; si dissimulat ille, quem rogas, esto violentus, & vim etiam ipsis inferas Cœlis. (d) Bonā violentia, qua DEUS non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed juvatur, peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona inquam violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed Regnum acquiritur sine fine mansurum. (e) Vult DEUS rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicitur: *Regnū DEI vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (f)

(a) *Coloss:* 4. v. 2. (b) *Judith:* 4. v. 12. (c) *Luc:* 11. v. 8. (d) *S: Greg: supra Psalm: Pænit:* (e) *Idem Hom:* 1. *in Ev.* (f) *Id: Hom: in Quadr.*

DIE XI.

PEtite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. (a) Omnis enim qui petit, accipit. (b) Postulet igitur in fide nihil hæsitans. (c) Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus *DEI*, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. (d).

Oratio justi clavis est Cœli, ascendit precatio, & descendit DEI miseratio. S. Aug.

R E F L E X I O.

HÆc verba; *Petite, quærite, pulsate,* ponderans

rans Cornelius Jansenius: Tribus inquit istis sententiis unum, & idem significatur, nisi quod congeries sententiarum commendet fidentem, instantem, & ardentem precationem. Nam ipsum *petere*, fiduciam in oratione necessariam indicat: *quærere* verò diligentiam: *pulsare* autem ardorem, & perseverantiam. (e) O Oratio sancta! Beatus qui te amat, sed beatior, qui te frequentat. (f) Esto igitur sedulus in oratione, esto in precibus opportunus, quia sæpe quanto minus à DEO audimur, tanto magis exaudimur. (g)

(a) *Luc: 11. v. 9.* (b) *Idem v. 10.* (c) *Jacob: 1. v. 6.* (d) *Hæbr: 4. v. 16.* (e) *Cornel: Jansen: l. 2.* (f) *S. Aug: Hom: 12. ex 50.* (g) *S. Bonav: de operib.*

DIE XII.

TRistatur aliquis vestrum, oret. (a) Et non impediaris orare semper. (b) Sed credite, quia accipietis. (c) Ad vocem enim clamoris tui, statim ut audierit DEUS respondebit tibi. (d) Pater vester qui in Cœlis est, dabit bona petentibus se. (e) Imo dat omnibus affluenter. (f)

Quod jam non det Filiis petentibus, cum hoc ante dederit, ut Filii essent? S. Aug.

REFLEXIO.

BOna considera, & cogita Religiose, quæ dat DEUS peccatoribus, & hinc intellige,

ge, quid servet servis suis. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie dat Cœlum, & terram, dat fontes, fructus, salutem, ubertatem, &c. hæc omnia bona non dat nisi DEUS. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hocne de illo sentiendum est, quia qui talia malis dat, nihil servat bonis? Imo vero servat non terram, sed Cœlum. Vilius forte aliquid dico, cum dico Cœlum: sed seipsum, qui fecit Cœlum. (g)

(a) *Jacob 5. v. 13.* (b) *Eccl: 18. v. 22.* (c) *Marci 11. v. 24.* (d) *Isa: 30. v. 19.* (e) *Matt: 7. v. 11.* (f) *Jacob 1. v. 5.* (g) *S. Aug: in Ps: 85.*

DIE XIII.

NOli esse quasi homo, qui tentat DEUM. (a) Quia peccatores DEUS non audit. (b) Non aggravata est auris ejus nõ exaudiat. (c) Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEUM vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. (d) Opposuist nubem tibi, ne transeat oratio. (e)

Vis DEUM te audire in tuis orationibus, cùm tu eum non audias in suis præceptis. S. Gr.

REFLEXIO.

QUi experitur DEUM esse in donis suis largiendis parcum, debet seipsum inculpare quod hactenus ea, non per preces

petie-

petierit, aut saltem, non eô modô, quô debuisset; DEUS enim nihil vult dare, nisi per orationem; Quemadmodum Christus indicavit dicens: *Petite, & accipietis.* Porro oratio cur quam plurimi nihilominus nō exaudiantur, licet sæpe precibus apud Deū instent. Quia apponunt nubem peccati ne transeat oratio, & manus Sangvine Xsti pollutas ad DEUM extendunt; Hinc quia is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, ut recte dixit S. Gregorius: *Quid enim iniquius, quam à DEO exaudiri velle, & illum vicissim, qua mandat, non exaudire?* Hinc S. Joannes ait: *Scimus, quia peccatores DEUS non audit; sed si quis cultor est, & voluntatem ejus facit hunc exaudit. Joan. 9. v. 31.*

(a) *Eccl:* 18. *v.* 23. (b) *Joan:* 9. *v.*31. (c) *Isa:* 59. *v.* 1. (d) *Ibid: v.* 2. (e) *Thren:* 3. *v* 44.

DIE XIV.

CUm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clausô ostiô, ora Patrem tuum in abscondito. (a) Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leva ad eum manus tuas. (b) Et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. (c) Quoniam oratis humiliantis se nubes penetrabit: & non discedet, donec Altissimus aspiciat. (d)

Licet

Licet altum sit Cœlum, audit tamen DEUS hominis lingvam, si mundam habeat conscientiam. S. Aug.

R E F L E X I O.

ATtende bene: Ubi operatio iniquitatis extat, illic despicitur oratio deprecantis. (e) Nihil enim proficit oratio illius, cujus adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore. (f) Ille tantùm verè orat, qui non peccat, qui autem orat & peccat; non rogat DEUM, sed ludit DEUM. (g) Neq; enim verba deprecantis DEUS intendit, sed orantis cor aspicit. (h)

(a) *Math: 6. v. 8.* (b) *Thren: 2. v. 19.* (c) *Math: 6. v. 6.* (d) *Eccl: 35. v. 21.* (e) *S. Hilar: super Psal: 54.* (f) *S. Isidor: l. 3. de summo bono, sent: 12.* (g) *S. Joan: Chrysost: Hom: 15. super Math: oper: imperf.* (h) *S. Bernard: de inter domo C. 48.*

D I E XV.

ORate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua. (a) Sine intermissione orate. (b) Pro omnibus hominibus. (c) Pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. (d) Et gratia regnet per justitiam, in vitam æternam. (e)

Pro

Pro semetipso tanto citiùs exaudiri meretur, quã-to magis devote pro aliis intercedit. S. Greg.

REFLEXIO.

ORandum igitur est pro omnibus, etiam multò magis pro inimicis, ut aut obtineatur eorum conversio, aut in nobis inveniatur Divinæ bonitatis imitatio. (f) Quisquis enim pro aliis intercedere nititur, sibi potiùs ex charitate suffragatur. (g) Nã frequens pro aliis oratio, firma sit protectio. (h) Sed væ illis, qui hoc Angelicũ exercitium, ob teporem animi refugiunt, reddent enim olim strictissimam de omni quadrante neglecto rationem. Ergo mi Religiose, ne propterea Divino involvaris judicio, satage nunc sedulo orationi studere.

(a) *Jacob 5. v. 16.* (b) *1. Thess: 5. v. 17.* (c) *1. Tim: 2. v. 1.* (d) *Ib: v. 2.* (e) *Rom: 5. v. 21.* (f) *S. Prosper apud S. Aug: tom: 3.* (g) *S. Greg in Moralib.* (h) *S. Thom: à Kemp: in horto Rosar: C. 8.*

DIE XVI.

VIgilate itaq; omni tempore orantes: ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. (a) Qui judicabit Orbem terræ. (b) Ecce nunc benedicite Dominum. (c) Imo omni tempore benedic DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat; & omnia consilia tua in ipso permaneant. (d)

Scutum

Scutum prohibet ictum sagittæ; sic oratio servat à sagitta sententiæ ira DEI. S. Bonav.

AFFECTUS.

LOquar ad Dominum meum. (e) Non dimittam te *Domine*, nisi benedixeris mihi. (f) Exaudi igitur Domine vocem deprecationis meæ. (g)

(a) *Luc: 21. v. 36.* (b) *Psal: 95. v. 13.* (c) *Ps: 133. v. 1.* (d) *Tob: 4. v. 20.* (e) *Gen: 18. v. 31.* (f) *Ibid: 32. v. 26.* (g) *Psal: 27. v. 2.*

DIE XVII.

MEDITATIO XXXV.

De Communione Sacra.

VEnite, comedite Panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. (a) Venite, emite, absq; argento. (b) Gustate & videte, quam suavis est Dominus. (c) Comedite ergo amici, & bibite, & inebriamini charissimi. (d) Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sangvinem, non habebitis vitam in vobis. (e)

Illud bibere, quid est, nisi vivere? manduca vitam, bibe vitam. S. Aug.

REFLEXIO.

QUi ergo cupit ditari Cœlestibûs divitiîs, id est virtutibus, quæ sunt maximi animæ thesauri properet ad earum fontem, nempe ad Christum, sub speciebus Eucha-

ristieis in Ssmo SACRAMENTO existenté; qui vitia exterminare satagit, id haud melius faciet, quàm itidem recurrendo ad Divinissimum hunc Panem, qui confert robur maximum ad profliganda peccata. Si enim Elias subcinericio duntaxat pane refectus, potuerit ambulare in fortitudine, usq; ad montem DEI, quantò magis ergo in virtutum via gradietur Angelorum Pane cibatus? (f) Nam teste Joanne Gers: *Est hoc Sacramentum salus animæ & corporis, medicina spiritualis langvoris; in quo vitia nostra curvantur, passiones frænantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incæpta augetur, firmatur fides, spes roboratur, & charitas augescit, & dilatatur.* (g) Hoc ipsum confirmat S. Bernard: dicens: *Duo præcipuè in nobis operatur hoc Sacramentum, ut & sensum minuat, in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.* (h)

(a) *Prov: 9. v. 5.* (b) *Isa: 55. v. 1.* (c) *Ps: 33. v. 9.* (d) *Cant: 5. v. 1.* (e) *Joan: 6. v. 54.* (f) *P. Abrah: à S. Clara ser: 41. n. 1. p. 1.* (g) *Joan: Gerson l. 4. c. 4. § 2.* (h) *S. Bernard. serm: de Can: Dom.*

DIE XVIII.

ECce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi. (a) Hic est panis de Cœlo descendens. (b) Manna absconditum. (c) Fa-

vum

vum cum melle, vinum cum lacte. (d) Angelorum esca. (e) Frumentum Electorum. (f) Puteus aquarum viventium. (g) Si quis ex ipso manducaverit, non morietur. (h) Sed vivet in æternum. (i)

Quomodò morietur, cui cibus vita est? S. Ambr:

REFLEXIO.

ACcede ad vitam, si vis habere vitam. O! Sacramentum pietatis, o! signum unitatis, o! vinculum charitatis, qui vult vivere, habet unde vivat: Accedat, credat incorporetur, hæreat corpori, vivat DEO de DEO. (k) Omnia Christus est nobis, si vulnus curare desideras, medicina est, si febribus æstuas fons est, si mortem times, vita est, si Cœlum desideras via est, si cibum quæris, alimentum est. (l) Non minus facundè de virtute hujus Sacratissimi Panis differens S. Thomas de Villanova: *Fructus* inquit, *uberrimus piè accedentibus præstatur; illuminatur intellectus, inflammatur animus, impingvatur affectus, excitatur gustus, vivificatur sensus, purificatur spiritus, virtutes augentur, gratiæ multiplicantur, & omnium deniq; bonorum spiritualium pelnitudo in ejus participatione possidetur.* (m)

(a) *Joan: 1. v. 29.* (b) *Ibid: 6. v. 50.* (c) *Apoc: 2. v. 17.* (d) *Cant: 5. v. 1.* (e) *Sap: 16. v. 20.* (f) *Zach: 9. v. 17.* (g) *Cant: 4. v. 15.* (h) *Joan: 6. v. 50.* (i) *Ibid: v. 59.* (k) *S. Aug: n. 26.*

n. 26. super Evang. (l) *S. Ambr: L. 3. de Virg: tom: 4.* (m) *S. Thom: à Vill: Con: 3. de Ss. Sacr:*

DIE XIX.

QUis poterit ſtare in conſpectu Domini DEI Sancti hujus. (a) *Coram quo columnæ* Cœli contremiſcunt. (b) Si Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus. (c) Quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. (d) Salve igitur calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. (e)

Cogita, quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. S. Chryſoſt.

REFLEXIO.

CUm ſis Religioſus, audes accedere, & contrectare Corpus Chriſti? cùm animã habeas ſordidam? Tu ſordido vaſe nolles uti, animâ verò ſordidâ accedis? Adſtat mẽſa Regia, adſunt Angeli menſæ hujus Miniſtri, adeſt ipſe Rex, & tu oſcitabundus adſtas? ſi veſtibus indutus es mundis? recumbe & communica. (f) Oportet te enim, ut non ſolùm te præpares ad devotionem, ante communionem, ſed ut etiam te ſollicitè conſerves in ea, poſt Sacramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia poſt exigitur, quàm devota præparatio priùs. Nã bona poſtmodùm cuſtodia optima iterum

est præparatio, ad majorem gratiam consequendam. [g]

[a] 1. *Reg: 6. v. 20.* [b] *Job 26. v. 15.* [c] *Ibid: 15 v. 15.* [d] *Ibid: v. 16.* [e] *Exod 3. v. 5* [f] *S. Chryst: ser: 3. super Epist. ad Ephes.* [g] *Gerson lib: 4. cap: 12. § 4.*

DIE XX.

AMice, quomodo huc intrasti, non habes vestem nuptialem. [a] Nunquid omnis, qui habuerit maculam, accedet offerre hostiam Domino. [b] Nonne anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum peribit de populis suis. [c] Nonne qui intingit mecum manum in paropside, hic me JESUM tradet. [d]

Non est audacia sæpe accedere, sed indigne vel semel. S. Chrysost.

REFLEXIO.

QUotidie Communionem accipere nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen diebus Dominicis svadeo, & hortor; si tamen mens sine voluntate peccandi sit. [e] Nam frequentia contemptum parit, & ex ipsa raritate crescit reverentia Sacramenti. [f] Timendum tamen est, ne dum quis abstinens separatur à Christi Corpore procul remaneat, à salute comminante ipso & dicente: *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis.* [g] Enimvero,

vero, quòd hujus Ss. Sacramenti pia sumptio nunc à SS. Patribus insinuatos eff. c(g) præstet, indubitatum est: quòd verò quàm plurimi hos minimè participent, sunt ipsimet in causa; quia dispositiones requisitas ad gratiam recipiendam non adferunt, unde non mirum per sumptionem Corporis Christi deteriores potius, quàm meliores effici. Quod pulchra similitudine docet D. Chrysost: *Sicut corporalis cibus, inquit, cùm ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, amplius lædit, & nullum præstat auxilium; ita & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, quàm proderit, non naturâ suâ, sed accipientis vitiô.* (h) Hinc Ecclesia canit: *Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.*

(a) *Math: 22. v. 12.* (b) *Levit: 21. v. 21.* (c) *Ibid 7. v. 20.* (d) *Math: 26. v. 23.* (e) *S. Aug: l. de Eccl: Dogmat.* (f) Petrus *Blesen: Epist: 86. ad Alexandr. Carthus:* (g) *S. Cypr: de orat: Dom:* (h) *S. Chrysost: Hom: 6. sup: Mat.*

DIE XXI.

NOnne Patres vestri, *qui* manducaverunt Manna mortui sunt? (a) Nunquid adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira DEI non ascendit super eos. (b) Nũquid post buccellam non intravit in eum *Judam* sathanas. (c) Omnis enim homo

qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. [d]

Non minùs detestabile est, in os pollutum, quàm in sterquilinium, mittere DEI Filium. S. Chrysost.

REFLEXIO.

HEu quod hodie sunt Sacerdotes miseri, & suæ salutis improvidi! qui Corpus Christi in Altari velut carnes pecudum mãducant, & involuti, atq; contaminati abominationibus, (*de quibus fas non est dicere.*) sceleratis manibus, & pollutis labiis contingere non verentur; & osculari Filium DEI, & MARIÆ Unigenitum! Tales non sunt Sacerdotes, sed sacrilegi; non Christiani, sed hæretici. Profectò si fidem perfectam haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent. [e]

[a] *Joan: 6. v. 59.* [b] *Psal: 77. v. 31.* [c] *Joan: 13. v. 27.* [d] *Levit: 22. v. 3.* [e] *S. Bonav: de Præp: ad Miss: C. 4.*

DIE XXII.

DIligenter attende, quæ sunt posita ante faciem tuam. [a] Calix benedictionis, cui benedicimus: Nonne communicatio Sangvinis Christi est? Et Panis, quẽ frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? [b] Propter quod probet semètipsum homo,

homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. (c)

Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie merearis accipere. S. Aug.

R E F L E X I O.

COmmunicare per singulos dies, & participare de Sacro Corpore, & Sangvine Christi pulchrum est, & valde utile ipso manifestè dicente: *Qui manducat meam Carnem, &c. habet vitam æternam.* (d) O Domine! cum tuam Dignitatem, & meam vilitatem penso, valde contremisco, & in me ipso confundor. Si enim quotidie non accedo? vitam fugio; si indigne me ingessero? offensam incurro. (e) Audi igitur S. Augustinum sic te adhortantem: *Quantū potes, ait, cum DEI adjutorio labores, ut cum sincera, & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad Altare Domini possis accedere, & Corpus, & Sangvinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ tuæ, merearis accipere vitam.* (f)

(a) *Prov:* 23. v. 1. (b) 1. *Cor:* 10. v. 16. (c) 1. *Cor:* 11. v. 28. (d) *S. Basil: ad Cæsariuam Patritiam.* (e) *Gers:* l. 4. c. 6. (f) S. *Aug: serm:* 1. *de Temp:*

D I E XXIII.

SI sangvis hircorum, & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinates sanctificat ad emun-

emundationem carnis. (a) Quantò magis Sangvis Christi, qui per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum immaculatum DEO emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis. (b) Nonne *dicit Christus* Caro mea est pro mundi vita? (c)

Dum caro Corpore, & Sangvine Christi vescitur, de DEO anima saginatur. Tertul.

REFLEXIO.

SIcut corpus indiget sensibilì cibo; ita & anima, quotidinâ spiritualium ciborum refocillatione. (d) Panis iste, per excellẽtiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento, non solum quælibet gratia, sed ille, à quo omnis gratia sumitur. (e) Ille Panis, qui seipsum dat Angelis, ad gaudium stabilitatis, seipsum dedit hominibus, ad remedium sanitatis. Et qui est Angelorum esca, nobis factus est medicina. (f)

(a) *Hebr: 9. v. 13.* (b) *Ibid: v. 14.* (c) *Joan: 6. v. 52.* (d) *S. Joan: Chrysost: Hõ: 10 sup: Gen.* (e) *S. Bernard: ser: 1. in Dom: Cœnæ.* (f) *S. Fulgentius 1. 1. de Nativit.*

DIE XXIV.

QUi irritam faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. (a) Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium DEI

con-

conculcaverit, & Sangvinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est. (b) Mundamini, qui fertis vasa Domini. (c) Quoniam non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. (d) *Mutet vitam, qui vult accipere vitam; si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam.* S. Aug.

AFFECTUS.

QUid retribuam Domino, pro omnibus, quæ ertribuit mihi. (e) Calicem Domini accipiam, & Nomen Domini invocabo. (f)

(a) *Hebr.* 10. *v.* 28. (b) *Ibid: v.* 29. (c) *Isa:* 52. *v.* 11. (d) 1. *Cor.* 10. *v.* 21. (e) *Psal.* 115. *v.* 12. (f) *Ibid: v.* 13.

DIE XXV.

MEDITATIO XXXVI.

De Cultu Sanctorum.

ECce quomodo computati sunt, *Justi*, inter Filios DEI, & inter Sanctos sors illorum est. (a) Plantati in Domo Domini, in atriis Domus DEI nostri florebunt. (b) Lætabuntur in cubilibus suis. (c) Veni sequere. (d) Et cum Sancto sanctus eris, & cum electo electus eris. (e)

Quem delectat alicujus sancti meritum, delectare debet par, circa cultum DEI obsequium. S. Chrysost.

RE-

REFLEXIO.

FAcite vobis amicos admonet *Christus.* (f) Non alios sed Cœli Cives, quos crebro invocando, & sedule colendo nobis amicos facere debemus, si securi ac indemnes tot funibus irretitam, ac Orcinis prædonibus obseptam ad Cœlum semitam transire, ac percurrere discupimus. Cum enim illi hanc viam periculis plenissimam, etiam pertransierunt, optime norunt, quantis æternæ salutis amittendæ discriminibus viatores expositi sint. Quia ergo salutem quoq; nostram avidissimè sitiunt, libentissimè, ac promptissimè omnibus invocantibus se, opē ferunt, ac ab hostium ferocissimorum incursibus eos protegunt. Hinc de omnibus Sāctis nobis dictum credamus, quod S. Bernardus de Angelis dixit: *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Custodem, Patronum tuum. Ductorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, & in protectione ejus commereris.* (f)

(a) *Sap:* 5. v 5. (b) *Psal:* 91. v. 14. (c) *Ps:* 149. v. 5. (d) *Math:* 19. v. 21. (e) *Luc:* 16. v 9. (f) *S. Bernard: in Psal. Qui habitat.*

DIE XXVI.

HI empti sunt ex hominibus, primitiæ DEO & Agno. (a) Et in ore eorum non est inventum mendacium. Sine macula

cula enim ſunt ante Thrònum DEI. (b) Hi erunt ſicut Angeli DEI in Cœlo. (c) Vade ergo, & ſta in porta Filiorum *DEI.* (d) Pulſate, & aperietur vobis. (e) Cõparate vobis ſine argento. (f)

Horrent homines ſumptus. En absq; ſumptu potes obtinere, quod vis, & nondum vis? S. Bernard.

R E F L E X I O.

SI Sanctorum conſortio gaudere velimus? Imitemur eos, nam ut pro nobis absq; ulla dubitatione intercedant, neceſſe eſt, ut aliquid in nobis de ſuis virtutibus agnoſcant. (g) Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam DEUS daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. (h) Reſpice ergo fidem, & vitam Sanctorum, ut à Sanctis exaudiaris, & cum Sanctis coroneris. (i)

(a) *Apoc: 14. v. 4.* (b) *Ibid: v. 5.* (c) *Math: 22. v. 30.* (d) *Jerem: 17. v. 19.* (e) *Luc: 11. v. 9.* (f) *Eccl: 51. v. 33.* (g) *S. Bernard: ſerm: 2. OO. SS.* (h) *Tob: 2. v. 18.* (i) *Thom: à Kemp: de Diſciplin: Clauſtr: c. 15.*

D I E XXVII.

HI ſunt, qui venerunt de tribulatione magna. & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas, in Sangvine Agni. (a) Ideo ſunt ante thronum DEI. (b) Petite *miſeri,* acci-

accipietis. (c) Non potest enim homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo. (d) Beatus igitur homo, qui vigilat ad fores *Sanctorum* quotidie. (e)

Quàm potentiores sunt in Cœlis, qui tam potentes fuerunt in terris. S. Bernard.

REFLEXIO.

PLùs enim possunt Sancti mortui, quàm vivi; quia majorem habent charitatem, & fruuntur DEO verissimè, sed non ideò potentiores, quia mortui, sed quia sunt in DEO, & in præsentia DEI. (f) Possunt ergo nobis prodesse; sed & volunt. Quorum pietas, charitas, misericordia, &c ita latè patuit in mortali vita, non patebit latiùs in vita immortali? Hoc unum ipsis cordi & in votis est, atq; studio, ut quam valeant eò perducere, ubi locus est omnibus abundans, & quorsum non solum possunt, sed tendere debent omnes. *Imitare ergo Religiose, quos diligis Sanctos, & quorum virtutem frequentas, eorum vitam, & instituta sectare.* (g)

(a) *Apoc. 7. v. 14.* (b) *Ibid: v. 15.* (c) *Joan: 16. v. 24.* (d) *Ibid: 3. v. 27.* (e) *Prov: 8. v 35.* (f) *Hugo Card: in c. 1. ad Roman.* (g) *S. Joan: Chrysost: ser: de Martyr: tom. 3.*

DIE XXVIII.

VOca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem

aliquem Sanctorum convertere. (a) Qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi. (b) Observa eum, & audi vocem ejus. (c) Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. (d) Facite vobis amicos,... ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (e)

Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? S. Bernard.

REFLEXIO.

FIdeles sunt; quia de salute nostra magis solliciti, quam nos ipsi sumus. *Prudentes sunt*: quia sciunt fragilitatem nostram, & ideo nos libenter adjuvant; sciunt pericula nostra, & insidias dæmonis, quibus infestamur; & ideo nos sollicite custodiunt. *Potentes sunt*: quia sciunt, quibus remediis indigeamus ut consequamur salutem, & ideo fideliter illa nobis à DEO impetrare conantur. Magnum enim habent robur Sanctorum preces, cum DEO jam regnantium. Ergo invoca, lauda, imitare, quia *cum Sancto*, quem imitaberis *sanctus eris*.

(a) *Job* 5. *v.* 1. (b) *Exodi* 23. *v.* 20. (c) *Ibi: v.* 21. (d) *Psal*: 90. *v.* 4. (e) *Luc*: 16. *v.* 9.

DIE XXIX.

LAudate Dominum in Sanctis ejus. (a) Hymnus omnibus Sanctis ejus. (b) Hôc

hono

honore condignus est, quemcunq; Rex *DEUS* voluerit honorare. (c) Quare sicut servi DEI. (d) Omnes *Sanctos* honorate. (e) Quamdiu fecistis uni de his Fratribus meis minimis, mihi *DEO* fecistis. (f) Quoniam manifestati sunt Filii DEI. (g)

Cum Sancti DEO per charitatem intimè sint uniti, meritò etiam propter DEUM singulariter honorantur. S. Cyprian.

REFLEXIO.

DOminum non amare convincitur, qui Sanctos ejus qua potest devotione non veneratur. Indevotus enim est Capiti, qui membris ejus ingratus extiterit. (h) Væ ergo illis, qui ab incepto Sanctorum cultu temere pedem retrahunt; timendum est, ne illis hoc eveniat, quod accidit cuidam Devoto ad *S. Barbaram*; Cum ille solita sua obsequia negligeret, audivit à S. Barbara sibi in somno apparente: *Tu me* inquit *consvetis obsequiis dereliquisti, & ego te solitis adjutoriis destituam*; & ita evenit, nam Apostata factus misere periit. Ne ergo & tibi tam infelix sors obtingat, mane in Sanctorum veneratione constans.

(a) *Psal: 150. v. 1.* (b) *Ps: 14. v. 9.* (c) *Ester 6. v. 11.* (d) *1. Petr 2. v. 16.* (e) *Ibid: v. 17.* (f) *Math: 5. v. 10.* (g) *Petrus Bles: ser: 33. OO. SS.* (h) *Surius in vita S. Barbar.*

DIE

DIE XXX.

QUi tetigerit vos, *Sanctos*, tangit pupillam oculi mei. (a) Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. (b) Qui vos honorat, me honorat dicit Dominus. (c) Omnia igitur, quæcunq; orantes *ab illis* petitis, credite, quia accipietis. (d) Quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. (e)

Sancti abscecta Capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunq; voluerint, apud DEUM impetrare possunt. S. Chrysost.

AFFECTUS.

AUdite Confines Sion *Sancti*. (f) Et pro nobis ipsis orate ad Dominum DEUM nostrum, quia peccavimus Domino DEO nostro. (g)

(a) *Zach*: 2. v. 8. (b) *Math*: 10. v. 40. (c) *Ezech*: 14. (d) *Marc*: 11. v. 24. (e) *Psalm*: 4. v. 4. (f) *Baruch*: 4. v. 9. (g) *Ibid*: 1. v. 13.

OCTOBER

DIE I.

MEDITATIO XXXVII.

De Præsentia DEI.

VIdes Fili hominis, quæ Seniores domus Israël faciunt in tenebris, unusquisq; in abscondito cubilis sui? Dicunt

cunt enim: Non videt Dominus nos. (a) Putasne DEUS è vicinò ego sum, & non DEUS de longè? (b) Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Nunquid non Cœlum & terram ego implebo? (c)

DEUM *fugis? falleris. Is tibi magis inest, quam anima tuo corpori; hæc à corpore separari potest, à DEO non.* S. Ambr.

R E F L E X I O.

HUnc ergo, quem effugere nullo modo potes, quam salubre est, imo necessarium, ut præsentem semper habeas? habeas inquam in cogitatione, & affectu. Væ tibi hoc negligenti, & forte tecum impio animo dicenti! *Quis me videt? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Et non intelligis, quoniam omnia videt Oculus illius? (d) Quis locus te excipiet fugienté? ubi DEI præsentia te non inveniat. (e)

(a) *Ezech:* 8. *v.* 12. (b) *Jer:* 23. *v.* 23. (c) *Ibid:* *v.* 24. [d] *Eccl:* 23. *v.* 26. (e) *S. Aug: Hom: ult: ex* 50.

D I E II.

PArvum est cor hominis, & iscrutabile. Quis cognoscet illud? (a) An cogitas, quia excelsior Cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur? (b) Et dicis: quid enim novit DEUS? (c) Nonne omnes

vix

viæ hominum patent oculis ejus? spirituũ ponderator est Dominus. (d)

DEUS totus oculus est, totus manus, totus pes: omnia videt, omnia operatur, ubiq; est. S. Aug.

REFLEXIO.

SIc est DEUS, per cuncta diffusus, ut nõ sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita; ut in dimidio mundi, corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atq; ita per totum totus: Sed in solo Cœlo totus, & in sola terra totus, & in Cœlo, & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso ubiq, totus. Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus Sanctus, ita Trinitas unus DEUS. (e) Ad eum itaq;, qui ubiq; est præsens, & ubiq; totus, non pedibus ire licet, sed moribus, non ambulando, sed amando. (f)

(a) *Jerem:* 17. *v.* 9. (b) *Job* 22. *v.* 12. (c) *Ibid: v.* 13. (d) *Prov:* 16. *v.* 2 (e) *S. Aug: Ep:* 157. (f) *Idem Epist:* 52. *ad Maced.*

DIE III.

OCuli Domini multò plùs lucidiores sunt super solem. (a) Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. (b) Respicit

ſpicit *DEUS* per feneſtras illius, & in januis illius audiens. (c) Et omnes greſſus eorum conſiderat. (d) Quoniam omnia videt oculus illius. (e)

Magna cuſtodia tibi neceſſaria eſt, quoniam ante Oculos Judicis, cuncta cernentis, vivis. S. Bernard.

R E F L E X I O.

SI DEUM præſentem, & omnia videntem; & judicantem timeremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. (f) O! quàm procul ſumus à Præſentia DEI. Talis enim, ſi poſſit audire DEUM dicentem ſibi: *Video te, cùm peccas: non te amabo; ſed diſplices mihi.* Ille nolens diſplicere, Oculos Patris non formidoloſi Judicis timet: nonne damnetur, nonne puniatur, nonne crucietur, ſed ne offendat gaudium Paternum, ne diſpliceat oculis amantis. Si enim amat ipſe, & amantem ſui Dominum ſentit, non facit, quod diſplicet amanti ſe. (g) Si ergo charus eſt tibi aſpectus DEI, imo charus intimus ejus quidam, & ineffabilis in corde tuo amplexus, ſemper illum ut præſentem cogita, ſemper ama, ſemper diſplicere time.

(a) *Eccl: 23. v. 28.* (b) *Sap: 1. v. 8.* (c) *Ecl: 14. v. 24.* (d) *Job 34. v. 21.* (e) *Eccl: 23. v 27.* (f) *S. Thom: Aquin: Opuſc: 58. c. 2.* (g) *S. Aug: ſerm: 18. de Verb: Apoſt.*

DIE

DIE IV.

QUis me dicis videt? (a) Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? (b) En ipse DEUS stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. (c) Domino enim DEO antequam crearentur omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. (d)

Qui peccat, agitnè omnino vidente videat, non autem ne ipse videatur. S. Greg.

REFLEXIO.

LIcet omnis homo qui male agit, odit lucem, & quærit tenebras; DEI tamen Oculos cuncta conspicientes latere non potest. (e) Da operam ut crebrius DEUM in mente habeas, quam spiritum ducas. (f) Hominem vereris præsentem; DEI Patris, & Filii non vereris præsentiam? (g) Memor esto DEI, & non peccabis. (h)

(a) *Eccl*: 23. v. 25. (b) *Ibid*: v. 26. (c) *Cãt*: 2. v. 9. (d) *Eccl*: 23. v. 29. (e) *S. Innoc*: *III. apud Grat.* (f) *S. Cyrill*: *Jerosol*: *cath*: 6. (g) *S. Ambr*: *sup*: *Psalm*: 118. (h) *S. Ignat*: *Mart*: *Epist*: 9. *ad Heronem.*

DIE V.

PEccasti, (a) & dixisti: Dominus non videt. (b) Dixisti: DEUM non timeo,

nec hominem revereor. (c) Nunquid enim omnia corda non ſcrutatur Dominus? & univerſas mentium cogitationes non intelligat. (d) Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. (e)

Si peccare vis, quære ubi te DEUS non videat, & fac, quod vis. S. Aug.

REFLEXIO.

Proh pudor! magis vereris vultum hominum, quam conſpectum DEI. (f) O quàm profunda cæcitas! DEUM ante oculos non habere. (g) Scito, quia cogitatio DEI, ubiq; præſentis, atq; omnium actionum noſtrarum teſtis, nos, ad omnium Chriſtianarum virtutum exercitationem impellit. Hoc ipſe Regius Propheta teſtatur, dicens: *Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* (h) Si enim Regis, vel Imperatoris aſpectus, milites ad ſtrenuè præliandum excitat, eisq; animos addit, ut in certamine virtus ipſorum effulgeat? quid non efficiet DEI viventis præſentia, oculos ſemper in nos figentis, juxta illud: *Firmabo ſuper te, oculos meos.* (i)

(a) *Gen: 4. v 7.* (b) *Ezech: 9. v. 9.* (c) *Luc: 18. v. 4.* (d) 1. *Paralip: 28. v. 9.* (e) *Job 34. v. 22.* (f) *Richard: à S. Vict: p. 1. de Beniam.* (g) *Caſſiod: ſup: Pſalm: 9.* (h) *Pſal: 118.* (i) *Pſal: 31. v. 8.*

DIE

D I E VI.

DIxit insipiens in corde suo: non est DEUS. (a) Sed scito, & cogitato in corde tuo, quia Dominus ipse est DEUS; in Cœlo sursum & in terra deorsū. (b) Neq; enim est alius DEUS vel in Cœlo, vel in terra. (c) Quare, omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM. (d) Et in æternum non peccabis. (e)

Quem memoria DEI occupat, minus patet aliis cogitationibus, præsertim malis. S. Ignat. Mart.

R E F L E X I O.

HAc sola ratione fit, ut quis nunquam labatur, si DEUM ipsi sibi semper adesse existimat. (f) Quia memoria DEI excludit cuncta flagitia. (g) Audi D. Thomam à Villanova, suos Fratres hortantem: *Attendite dilectissimi Fratres præsentiam DEI in omni loco, ubicunq; convenistis, sive ad orandum, sive ad laborandum.* (h) Nihil enim DEO præsentiùs, & nihil eo secretius. (i)

(a) *Psal:* 13. *v.* 1. (b) *Deut:* 4. *v.* 39. (c) *Ibid:* 3. *v.* 24. (d) *Tob:* 4. *v.* 6. (e) *Eccl:* 7. *v.* 40. (f) *Clem: Alex. Præd: l.* 5. (g) *S. Hier: l.* 3. *sup: Ezech: c.* 3. (h) *Thom: à Kemp: serm:* 4. *ad Novit.* (i) *S. Aug: c.* 57. *de anima.*

D I E VII.

IN omni loco oculi Domini contemplan-

tur bonos, & malos. (a) Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: sed omnia nuda, & aperta sunt Oculis ejus. (b) Et non est quidquam absconditum ab Oculis ejus. (c) In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. (d) Quare ergo contempsisti Verbum Domini, ut faceres malum in conspectu *illius*. (e)

Non peccas coram judice, qui jus gladii habet; & peccas coram DEO, qui jus inferni habet; ubi ratio?

REFLEXIO.

CErte quando peccamus, si cogitaremus DEUM videre, & esse præsentem, nunquàm quod ei displicet, faceremus. (f) Si DEUS tecum non est, ob peccata per gratiam, adest per vindictam, sed væ tibi! si ita tecum est, imo væ tibi! si ita tecum nō est, time, quia jus habet inferni. (g) Væ! qui profundi estis corde, quorum sunt in tenebris opera & dicunt: *Quis videbit nos, & quis novit nos.* (h) Fuge itaq; tanquàm à conspectu serpentis, peccatum. Nam si accesseris mordebit te forte in inferno. (i)

(a) *Prov: 15. v. 3.* (b) *Hebr: 4. v. 13.* (c) *Eccl: 39. v. 24.* (d) *Act. 17 v. 28.* (e) *2. Reg: 12. v. 9.* (f) *S. Hier: l. 3. super Ezech: c. 3.* (g) *S. Bonav: in itinere merit: c. 5.* (h) *Isa: 29. v. 15.* (i) *Eccl: 21. v. 2.*

DIE

DIE VIII.

BEatus Vir, qui morabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem DEI. (a) Quoniam præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. (b) Pete igitur coram Domino semper. (c) Ambula coram me DEUM, & esto perfectus. (d)

Multum refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu DEI vivere. Lactant.

AFFECTUS.

QUo ibo *Domine* à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? (e) Melius est mihi absq; opere incidere in manus *Sathanæ* quàm peccare in conspectu Domini. (f) Quia non longe est à nobis omnipotentia tua Domine, etiam cum longe simus à te. (g)

(a) *Eccl: 14. v. 22.* (b) *Ibid: 2. v. 20.* (c) *1. Reg: 10. v. 19.* (d) *Gen: 17. v. 1.* (e) *Psal: 138.* (f) *Daniel: 13. v. 23.* (g) *S. Aug: l. 2. conf. c. 2.*

DIE IX.

MEDITATIO XXXVIII.

De timore DEI.

DOminum DEUM tuum timebis, & illi soli servies. (a) Unus enim est Altissimus Creator omnium, Omnipotens & Rex

Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum ſuum, & dominans DEUS. ſb] Attende quid dicit Dominus exercituum? ſi Dominus ego ſum ubi eſt timor meus? ſc)

Si ſol, & luna, & ſtellæ ſerviunt DEO, quare ego non ſerviam? Cœlum ſervit, & terra non ſervit? S. Hier.

REFLEXIO.

STulte quem DEUM appellas, negas timendum eiq; ſerviendum, cum hoc nomen ſit poteſtatis etiam timendæ. At quomodo diligas? quomodo ſervias? niſi timeas non diligere, non ſervire? etiam Patri competit amor propter pietatem, & timor propter poteſtatem. ſdj Scito igitur, qui timorem DEI poſtponit, diu ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citius incurret. ſe) Nam ubi non eſt timor DEI, ibi Regnum eſt peccati. ſf]

ſa) *Deut: 6. v. 13.* ſb) *Ecl: 1. v. 8.* ſc) *Malach: 5. v. 6.* ſdj *Tertull: lib. 1. Adv: Marcian.* ſe) *Gerſ: de Lib: imitat: c. 24.* ſf) *V. Beda t. 2. in ſuis Prov.*

DIE X.

NOli timere Fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus DEUM. ſa) Præcepit enim nobis Dominus, ut timeamus Dominũ

DE-

DEUM nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus nostris vitæ nostræ. (b) Meliùs igitur parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles. (c)

Non est bona lætitia, nisi in timore DEI, cum bona conscientia. Gers.

REFLEXIO.

TImor adsit DEI, & nihil erit triste. Etiamsi paupertatem dicas, etiamsi ægritudinem etiamsi captivitatem, etiamsi servitutem, & si quid tristium, non solùm gravia non erunt, sed magìs adjumenta, si DEUM timeamus. (d) Si enim timorem DEI habeamus, nihil nobis est opus: Si vero hunc non habeamus, & si regnum ipsum possideamus sumus omnium pauperrimi. (e)

(a) *Tob: 4. v. 23.* (b) *Deut: 6. v. 24.* (c) *Prov: 15. v. 16.* (d) *S. Joan: Chrys: Hom: 26. sup: Evang: ad Habr.* (e) *Idem Cap: 17.*

DIE XI.

AUdi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures non auditis. (a) Ergo me non timebitis? ait Dominus. (b) Nunquid Filius non honorat Patrem, & servus Dominum suum? Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? (c) Time DEUM, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo. (d) *DE-*

DEUM si times, omnis es homo: si non times nullus es homo. Time DEUM ut homo sis. Ter.

REFLEXIO.

NIhil esse hominem sine timore, constat ex ecclesiastico dicente: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domꝰ tua.* (e) Id est sine timore mox corrues in varia peccata nec diu stabis in gratia. Merito igitur ait S. Bernardus: *Omne virtutũ ædificium illico vergit in præcipitium si timoris Domini amiseris præsidium.* (f) S. Gregor: dicit: *Ubi timor non est, ibi salus non est.* (g) Profectò quidquid illud sit, nihil est, & si totus mundus foret; quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? (h)

(a) *Jer: 5. v. 21.* (b) *Ibid: v. 22.* (c) *Mal: 1. v. 6.* (d) *Eccl: 12. v. 13.* (e) *Eccl: 27. v. 4.* (f) *S. Bernardus ser: 12.* (g) *S. Gregor: lib: Moral:* (h) *Math: 16. v. 26.*

DIE XII.

TImenti DEUM non occurrent mala. (a) Quoniam initium sapientiæ timor Domini. (b) Timor Domini fons vitæ. (c) Timor Domini sicut Paradisus benedictionis. (d) Timor Domini ipse est thesaurꝰ ejus. (e) Timor DEI initium dilectionis ejus. (f) Uno verbo timor DEI super omni se superposuit. (g)

Timor

Timor fundamentum salutis est, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. Tertul.

R E F L E X I O.

AUdi Solomonem in proverbiis dicentem: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* (h) Si ergo talis beatus est, ergo nihil eget quia Beatitudo secum affert affluentiam omniũ bonorum. Beatus autem talis censeri debet, quia præ cæteris merebitur DEI misericordiam, quod testatur David dicens: *Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* (i) Quia in cunctis suis petitionibus facile exaudietur. Ubi rursus verificat Propheta Regius: *Voluntatẽ timentium se faciet; & deprecationem eorum exaudiet.* (k)

(a) *Eccl: 33. v. 1.* (b) *Prov: 1. v. 7.* (c) *Ibi: 14. v. 27.* (d) *Eccl: 40. v. 28.* (e) *Isa: 33. v. 6.* (f) *Eccl: 25. v. 16.* (g) *Ibid: v. 14.* (h) *Prov: 28. v. 14.* (i) *Psal: 44.* (k) *Psal: 144.*

D I E XIII.

NE terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant. (a) Sed ostendam vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam acciderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. (b) Quare cum metu, & tremore vestram salutem operamini. (c)

Mor-

Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. S. Aug.

REFLEXIO.

SI diligenter pensares, quid circa tuam animam in mortis hora agetur, quam horribiliter eam hostes tartarei angustiabũt, non ita ad peccata ac vitia pronus esses. Quamobrem si vitia, è cordis tui penetralibus extirpare discupis, & loco horum virtutes implantare, recogites diligenter cum timore DEI mortem, ac si tibi jam præsens adesset, sic enim haud dubiè à carne mundo, & dæmone tuis offensissimis hostibus victoriæ palmam reportabis. Siquidem teste S. Augustino: *Nihil sic revocat à peccato, quam timor DEI, & frequens mòrtis meditatio.* (d) *Nam qui sine timore DEI est, cito corruet in gebennam.* (e)

(a) *Luc: 12. v. 4.* (b) *Ibid: v. 5.* (c) *Philip: 2. v. 12.* (d) *S. Aug: lib. Conf.* (e) *Thom: à Kemp: in valle Liliorum C. 11.*

DIE XIV.

QUid Dominus DEUS tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum DEUM tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino DEO tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua. (a) Nunquid considerasti servum meum Job, quia non sit ei similis in terra; homo simplex, & rectꝰ

ac timens DEUM, & recedens à malo. (b) Time ergo DEUM, & recede à malo. (c)

Hoc unum timemus, ne quid magis quam DEUM timeamus. S. Greg. Naz.

R E F L E X I O.

DEUM non hominem timeas; si hominem times? ab ipso quem times, derideberis. Sin vero DEUM times? hominibus quoq; venerabilis eris. (d) Scito: Nisi timore incipias DEUM colere, non pervenies ad amorem. (e) Hunc timorem nobis commendat mellifluus Bernardus, dum ait: *In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad amorem retinendum, ad gratiam promerendam, recuperandam, quam si omni tempore coram DEO inveniaris in timore non altum sapere sed timere.* (f) Imo teste S. Diadocho: *Nemo potest in sensu cordis DEUM amare, nisi prius toto corde eum timeat; timore enim DEI efficitur ut anima pura ad exercendam charitatem se applicet.* (g)

(a) *Deut: 10. v. 12.* (b) *Job 1. v. 8.* (c) *Prov: 3. v 7.* (d) *S. Chrysost: Hom: 83. sup: Mat.* (e) *Idem in Psal: 149.* (f) *S. Bernard: serm: 44. super Cant.* (g) *S. Diadochus ser: de S. Joann: Bapt: lib: 7. Cap: 17.*

DIE XV.

IN tota anima tua time Dominum. (a) Ecce hi, qui serviunt *DEO*, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit pravitatem.

tem. (b) Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consummentur velut à tinea. (c) Propter quod si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. (d)

Quamvis sis in tuto, noli esse securus. S. Bernard.

REFLEXIO.

QUis enim sanctior *Davide*? quis sapientior *Salomone*? quis fortior *Samsone*? hi tamen omnes fœde prolapsi sunt. O quotquot fuerunt, qui in solitudine vitam Angelicam potius, quàm humanam duxerunt, multis annorum lustris? & tamen in fine miserrime occulto DEI judicio perierunt? Et quare hoc DEUS permittit; nisi ut maneamus in timore semper, de nostris bonis operibus minimè præsumentes. Hinc Apostolus monet: *Cum metu, & tremore salutem tuam operare.* (e) Hoc est si quis etiam adeò sancte viveret, ut velut alter *Noe* ab ipsomet DEO audiret: *Te vidi justum coram me in generatione hac.* (f) Si quis tantam fidem haberet, ut cum Centurione à Xsto laudaretur: *Non inveni tantam fidem in Isràël.* (g) Si quis tam irreprehensibilem vitæ Methodum teneret ut audiret, quod Salvator Nathanaeli dixit: *Ecce vere Isràëlita in quo dolus non est.* (h) Non tamen propterea

vea exemptus erit à timore; quia &si omnia nunc narrata laudum præconia haberet, habet tamen quo sibi timeat! nam ut Apostulus testatur dicens: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

(a) *Eccl: 7. v. 31.* (b) *Job 4. v. 18.* (c) *Ibid: v. 19.* (d) *Eccl: 27. v. 4.* (e) *Philip: 2.* (f) *Gen: 7.* (g) *Math: 8.* (h) *Joan: 1.*

DIE XVI.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. (a) Nihil enim meliùs est, quàm timor DEI: & nihil dulciùs quàm respicere in mandatis Domini. (b) Maximè quia timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum. (c) Serva igitur timorem illius, & in eo veterasce. (d)

Tutissima res est, nihil timere, præter DEUM. S. Laur. Just.

AFFECTUS.

SI columnæ Cœli contremiscunt, & pavét ad nutum ejus. (e) Quis non timebit te ô Rex gentium! (f) Quoniam nullus est similis tui. (g)

(a) *Psal: 127. v. 1.* (b) *Eccl: 23. v. 37.* (c) *Ibid: 1. v. 12.* (d) *Ibid: 2. v. 6.* (e) *Job 26. v 11.* (f) *Jer: 10. v. 7.* (g) *Ibid: v. 7.*

DIE

DIE XVII.

MEDITATIO XXXIX.

De Providentia DEI.

NIhil in terra fine caufa fit. (a) DEUS difponit omnia fvaviter. (b) Omnia in menfura & numero, & pondere. (c) Pufillum & magnum ipfe fecit; & æqualiter eft illi cura de omnibus. (d) Non eft alius DEUS, quàm tu *Domine* cui cura eft de omnibus. (e) Quoniam tua Providentia, cuncta gubernat. (f)

Nulla creatura eft, quæ non, velit, nolit, Divina Providentiæ ferviat. S. Aug.

REFLEXIO.

FAcit enim cum ea, quæ ex animo fervit, quod bonum eft, de illa verò, quæ hoc non vult, fit quod juftum eft. (g) Quia DEUM relinquens, & à Providentiæ illius mandatis recedens, DEUM pariter cogit, ut recedat, & fubmoveat Paternum præfidiū, quod juftorum in terra felicitatem conftituit. Conftanter DEO crede, eiq; totum committe quantùm potes, nihil enim tibi evenire permittet, nifi quod tibi profit etiamfi nefcias. (h)

(a) *Job 5. v. 6.* (b) *Sap: 8. v. 1.* (c) *Ibid: 11. v. 21.* (d) *Ibid: 6. v. 8.* (e) *Ibid: 12. v. 13.* (f) *Ibid: 14. v. 3.* (g) *S. Aug: in Exp: Epift: ad Salv:* (i) *Idem in foliloq. C. 6.*

DIE

DIE XVIII.

DIxerunt *impii:* Dereliquit Dominus terrã, & Dominus non videt. (a) Dixerunt: Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines Cœli perambulat. (b) Non sic impii, non sic. (c) Neq; dicas: non est Providentia; ne forte iratus Dominus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. (d)

Quis tam furiosus, ut cùm Dominum Creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? S. Gregor.

REFLEXIO.

NOn est, nisi impius, aut stultus, qui neget sine DEO aliquid fieri. Nec tu Christiane credere aliter potes, quàm omnia ab eo fieri, cum summa æquitate & sapientia, tametsi viîs nobis ignoratîs. (e) Neq; promptum cuiquam est DEI videre mentẽ; aut quibûs modîs ordinârit res suas, homo animal cæcum, & ipse sui nesciens, ullîs potest rationibus consequi. (f)

(a) *Ezech:* 9. *v.* 9. (b) *Job* 22. *v.* 14. (c) *Psal:* 1. *v.* 5. (d) *Eccl:* 5. *v.* 5. (e) *Vives introduct:* 267. (f) *Arnobius* 2. *cont: Gent.*

DIE XIX.

NOlite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus? (a) Scit

enim

enim Pater vester Cœlestis, quia his omnibus indigetis. (b) Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad DEUM vagientes, eò quòd non habeant cibos. (c) Nonne DEUS pascit illos. (d) Jacta itaq; super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. (e)

Non in toto corde confitetur DEO, qui de Providentia ejus in aliquo dubitat. S. Aug.

REFLEXIO.

REctè fieri cuncta, ne dubites, quoniam bonus mundum Rector temperat. (f) Ille DEUM credit esse, qui credit omnes res mundi hujus gubernari, & provideri ab illo. (g) DEUS enim providet omni carni, quia quidquid natat, quiquid volat, quidquid repit, quidquid graditur ejus largitate satiatur. (h)

(a) *Math: 6. v. 31.* (b) *Ibid: v. 32.* (c) *Job 38. v. 41.* (d) *Luc: 12. v. 24.* (e) *Ps: 54. v. 23.* (f) *Boet l. 4. consol: profund. 5.* (g) *S. Thomas Aqu: opusc: 6. super Symb: Apost: a. 1.* (h) *Cassiod: sup: Psalm: 135.*

DIE XX.

QUis vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? (a) Si ergo neq; quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis. (b) Considerate Lilia agri quomodo crescunt? non laborāt, neq;

neq; nent. [c] Quærite ergo primum Regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. [d]

Si homo, qui esse debet; mox ei addentur omnia per quem omnia facta sunt. S. Hieron.

REFLEXIO.

CRede DEO, comitte te ei, & ipse te enutriet. [e] Quia DEUS scit, quid nobis necessarium sit, & quid expediat. [f] Nam Providentiæ DEI, cura est specialis omniũ, specialior fidelium, specialissima Sanctorum. [g] In omnibus ergo Providentiam DEI sapienter attendas, sine qua nec unum quidem folium de arbore decidit. [h]

[a] *Luc:* 12. *v.* 25. [b] *Ibid: v.* 26. [c] *Ibid: v.* 27. [d] *Math:* 6. *v.* 33. [e] *S. Bernard ser:* 5. *Vigil: Nativ:* [f] *S. Bonav: de* 7. *donis Spirit.* [g] *Hugo Card: super* 1. *Cor:* 9. [h] *Ludov: Bl: de brevi Regula Tyronis.*

DIE XXI.

REspicite volatilia Cœli, quæ non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea: & Pater vester Cœlestis pascit illa. [a] Nonne vos magis pluris estis illis? [b] Nolite ergo solliciti esse in crastinum. [c] Sed omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. [d] Et Pater tuus reddet tibi. [e]

Pascet te, qui fecit te, si non vellet pascere te, non fecisset te. S. Greg.

REFLEXIO.

DEUS, quod non erat fecit, factum sine gubernatione non deserit, & qui benigne hominem condidit, nequaquam injustè cruciari permittit, nec finit neglectè perire quod est, qui hoc etiam, quod non fuit, creavit, ut esset. (f) Nunquam enim DEUS tollit curam suam, ab omni creatura. (g)

(a) *Math: 6. v. 26.* (b) *Ibid: v. 27.* (c) *Ib: v. 34.* (d) *1. Petri 5. v. 7.* (e) *Math: 6. v. 4.* (f) *S. Greg: l. 2. Moral: c. 11.* (g) *Salv: l. 1. de Gubern: DEI.*

DIE XXII.

SCit Pater vester, quibûs indigetis. (a) Ne ergo solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis; neq; corpori vestro quid induamini. (b) Nonne anima plùs est, quā esca? & corpus plùs quàm vestimentū? (c) Si enim fænum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestit? Quanto magis vos modicæ fidei? (d)

Cum esuris aut sitis, committis te homini, qui te satiat. Quis furor esset nō Creatori DEO? S. Gr.

REFLEXIO.

HI maximè lædunt Divinam Providentiā, qui diffidunt in necessitatibus, quibus

premuntur, & metum concipiunt inanem, quasi ipsis Providentia Divina desit, in iis, quæ sunt ipsis necessaria. *Omnem ergo sollicitudinem tuam projice in DEUM, quoniam de omni carne est ipsi cura. Et noli diffidere in tuis necessitatibus, sed constanter DEO crede.* (e)

(a) *Math: 6. v. 32.* (b) *Luc: 12. v. 22.* (c) *Ibid: v. 23.* (d) *Math: 6. v. 30.* (e) *S. Aug: in Psal: 148.*

DIE XXIII.

VIriliter agite, & confortamini, nolite timere. (a) Quoniam nobiscum Dominus DEUS noster, qui auxiliator est noster. (b) Si DEUS pro nobis, quis contra nos? (c) Quis est, qui vobis noceat: si boni æmulatores fueritis? (d) Nunquid non sunt in manu illius *DEI* & nos, & sermones nostri? (e) Nolite ergo timere. (f) *Committe te Omnipotenti DEO, qui te per se regit, quem te per se creavit, nihil enim tibi evenire potest.* S. Gregor.

REFLEXIO.

SCito ergo: quando superna Providentia cuiquam assistit non solum hominum insidias effugere potest, sed etsi in bestias ipsas incidat, nihil patitur grave. (g) Providentia Divina nunquam cessat, sed semper est firma, ita, ut licet aliquod bonum posset homini contingere, præter ejus intē-

tionem, non tamen præter ejus Providentiã, sub qua omnia continentur. (h)

(a) 2. *Paralip*: 32. *v* 7. (b) *Ibid*: *v*. 8. (c) *Rom*: 8 *v*. 31. (d) 1. *Petr*: 3. *v*. 13. (e) *Sap*: 7. *v* 16. (f) *Math*: 10. *v*. 26. (g) *S. Chrysost. Hom*: 57 *supr Gen*. (h) *S. Antonin*: *p*. 2. *tit*: 12. *de infidel*: *c*. 9.

DIE XXIV.

NEq; dicas coram Angelo: non est Providentia. (a) Nonne Angelis suis mãdavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis? (b) In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuũ. (c) Nunquid capilli capitis vestri omnes non sunt numerati? (d) Et unus ex illis non cadet super terram, sine Patre vestro. (e)

Sic DEUS unumquemq; nostrum tanquam solũ curat, & sic omnes, tanquam singulos. S. Aug.

AFFECTUS.

QUam magnificatã sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. (f) Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. (g)

(a) *Eccl*: 5. *v*. 5. (b) *Psal*: 90. *v*. 11. (c) *Ib*: *v*. 12. (d) *Math*. 10 *v*. 30. (e) *Ibid* *v*. 29. (f) *Psal*: 103. *v*. 24. (g) *Sap*: 11. *v*. 21.

DIE

DIE XXV.
MEDITATIO XL.
De Misericordia DEI.

QUam magna misericordia Domini. [a] Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. [b] Multò enim magìs nunc justificati in Sangvine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. [c] Si autem quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum. [d]

Impium te quæsivit DEUS, ut redimeret; redemptum quomodo deseret? S. Aug.

REFLEXIO.

MIsericordia Domini DEI prævenit impium, ut sit justus, subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumẽ quod non invenit, donet, subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat, subsequitur elevatum, ne cadat. Hoc igitur misericordia in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur. [e] O anima mea! videsne quàm tenerè atq; ardenter DEUS diligat te, & quàm vehementèr desiderat te pervenire ad Cœlestem Beatitudinem? Eja ergo relinque terrena, & adhære tam bono & misericordi Domino, & misericordiam invenies.

[a] *Eccl:* 17. v. 28. [b] *Rom:* 5. v. 8. [c] *Ib:* v. 9.

v. 9. (d) 1. *Joan*: 2. v. 1. (e) *S. Fulgentius l.* 1. *ad Mercim.*

DIE XXVI.

O Quam bonus, & ſvavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus. (a) Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. (b) Ideoq; hos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ, credant in te Domine. (c)

Tam Pater nemo tam pius nemo, quam DEUS. Tertul.

REFLEXIO.

O Ineffabilis miſericordia tua Domine! quæ ſupra id, quam cogitari poteſt declarata eſt. Nam neſcientes te ſollicitè quæſiiſti; deſerentes te, non deſeruiſti peccantibus tibi benigniſſime indulſiſti, averſis longiùs à te viam oſtendiſti æternæ ſalutis. Si tam pius factus eſt inimicis, quid erit amicis? (d) Ingemuit *Rex David* & miſericordiam adeptus eſt; ingemuit *Publicanus in Templo*, & juſtificatus in domum ſuam deſcendit; ingemuit *Latro in Cruce*, & audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; ingemuerunt & alii milleni peccatores, & peccatrices, quibus nec quidem uni miſericordia denegata eſt. (e)

(a) *Sap*: 12. v. 1. (b) *Ibid*: 11. v. 24. (c) *Ib*: 12. v. 2.

12. v. 2. [d] *Thom: à Kemp: Conc: 1. de Incarna:* [e] *P. Abrah: à S. Clara ser: 3. part: 2. num. 10.*

DIE XXVII.

QUam magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se. [a] Audi, quid dicit Dominus: *Tu fornicatus es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.* [b] Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. [c]

Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit. S. Aug.

REFLEXIO.

ASpice misericordiam DEI, licet peccaveris, licet neglexeris, & provocaveris patientiam ejus, paratus tamen est misereri, cum volueris, & reverti ad revertentem, oblivisci & tegere peccata tua, & projicere in profundum maris. Nec erit mora inter confitentem, & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem, quia misericors est. [d] Quoniam non venit, ut nos propter nostra peccata, tanquam Judex condemnaret, sed ut Salvator, & Medicus ab his nos sanaret. Audiamus eũ clara voce pollicentem: *Quacunq; hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum illius non recordabor.* [e]

[a] *Eccl: 17. v. 28.* [b] *Jer: 3. v. 1.* [c] *Isa: 49. v.*

49. v. 15. (d) *S. Petrus Damian: ferm 56. de S. Martino.* (e) *P. Abrah ser: 3 p 2. num: 9.*

DIE XXVIII.

NE dixeris: quid mihi accid t triste? (a) An ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? (b) Proinde ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. (c) Misericordia enim & ira, ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. (d)

Timendum est ne dum multum speras de misericordia incidas in judicium. S. Aug.

REFLEXIO.

MUlti volunt misericordiam, retinendo peccati miseriam, & orant miseri, sed nolunt emendari. Superbia maxima est, petere misericordiam, & in vitiis velle manere. (e) Sed considera rigidissimam DEI justitiam, quæ ne quidem minimum nævũ impunitum transire permittet. Quamobrẽ sic time just tiam, ut quæras misericordiã, & sic de misericordia confide, ut tamen justitiam contremiscas. (f)

(a) *Eccl: 5. v. 4.* (b) *Rom: 2. v 4.* (c) *Ec. 5. v. 6.* (d) *Ibid. v 7.* (e) *Simon Cassian l 1. Cap 26.* (f) *Ludov: Blos: in Monil: Cap: 1. num: 5.*

DIE

DIE XXIX.

SUstinuit DEUS in multa patientia vasa iræ apta ad interitum. (a) An propterea divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? (b) Non sic impii non sic. (c) Nam DEUS patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. (d)

Ideo DEUS parcit ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas. S. Aug.

REFLEXIO.

SI DEUS ideo parcit, ut corrigamur. Ergo convertamus nos à vitiis, non recedamus à lege, præceptum Domini quasi servi sedulis studiis exequamur. Magis quodammodo DEI misericordia timenda, quàm justitia. Qui enim justitiam offendit, habet misericordiam pro Asylo qui autem misericordiam offendit, quæ ara eum tuebitur? (e) Semper igitur habeamus præ oculis misericordiam DEI. Confidamus misericordi & profectò experiemur misericordiam. Nam ut ipsemet Dominus S. Mechtildi revelavit: quod scilicet *nullus sit adeo magnus peccator, quin si vere pœnituerit, mox illi omnia peccata sua plene dimittam, & cor meum tanta clementia, atq; dulcedine super illum inclinans, ac si nunquam peccasset.* O ineffabilem DEI pietatem!

(a) *Rom: 9. v. 22.* (b) *Ibid: 2. v. 4.* (c) *Ps: 1. v. 5.* (d) *2. Petr: 3. v. 9.* (e) *Mendosa in 1. Reg: 4. Annot: 10. sect: 2.*

DIE XXX.

SI peccaverimus, tui sumus *Domine*, scientes magnitudinem tuam. (a) Quoniam pius & misericors est DEUS, & remittit in die tribulationis peccata. (b) Et si nō peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. (c) Misericordias quoq; Domini in æternum cantabo. (d) DEUS meus misecordia ejus præveniet me. (e)

Misericordiæ DEI nec mensuras possemus ponere, nec tempora definire. S. Leo.

REFLEXIO.

AUdi B. Albertum Magnum dicentem: *Tanta est Divina Misericordia, quod respectu ejus omnia hominum peccata quantumcunq; & qualiacunq; sunt quasi scintilla in medio maris.* (f) Cui consonat mellifluus Bernardus: *Cuncta peccata* inquit *ab origine mundi commissa Divinæ misericordiæ comparata, sunt quasi una gutta ad pelagus totius maris.* (g) O stupenda DEI misericordia! o pretiosissima vereq; infinita valoris merita Christi, quæ tam immensam nobis misericordiam promeruerunt!

(a) *Sap: 15. v. 2.* (b) *Eccl: 2. v. 13.* (c) *Sap: 75. v. 2.* (d) *Psal: 88. v. 2.* (e) *Psal: 58. v. 11.*

v. 11. (f) *S. Albert: M. ser: in Dom: 3. Advent.*
(g) *S. Bernardus serm: de bono Latrone.*

DIE XXXI.

QUia patiens Dominus est, in hoc ipso pæniteamus, & indulgentiam ejus fusis lachrimis postulemus. (a) Non enim quasi homo, DEUS sic comminabitur, neq; sicut Filius hominis in iracundiam inflāmabitur. (b) Et ideo humiliemus illi animas nostras, & in Spiritu constituti humiliato servientes illi. (c) Dicamus flentes Domino ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam. (d).

Peccator es? dic: peccavi; & solvisti peccatum. S. Chrysost.

AFFECTUS.

MIserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam. (e) Si enim iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit. (f)

(a) *Judith: 8. v. 14.* (b) *Ibid: v. 15.* (c) *Ib: v. 16.* (d) *Ibid: v. 17.* (e) *Psal: 50. v. 2.* (f) *Psalm: 129. v. 3.*

NOVEMBER.

DIE I.

MEDITATIO XLI.

De Justitia DEI.

ECce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque. (a) Dies illa, dies iræ, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ. (b) Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usq; modo, neq; fiet. (c) Heu quis poterit cogitare diem adventus ejus. (d)

Quid ad te quando veniet? sic vive, quasi venturus sit, & non timebis cum venerit. S. Aug.

REFLEXIO.

NOvissimus dies terribiliter venturus auditur eis, qui securi esse bene vivendo nolunt, & male vivere diu volunt. (e) Excutiat ergo unusquisq; cor suum, & videat, quid ibi fides teneat? Si credimus futurum judicii diem, bene vivamus. Tēpus misericordiæ nunc est; tempus judicii tunc erit. (f) Nos autem perversitate nostra, sic volumus DEUM esse misericordem, ut non sit justus. (g) Sic etiam vivimus, quasi, si nos nō peccaremus, nihil sit, quod judicaret DEUS.

(a) *Isa: 13. v. 9.* (b) *Sophon: 1. v. 15.* (c) *Math:*

Math: 24. v. 21. (d) *Malach*: 3. v. 3. (e) *S. Aug*: *in Psal*: 35 *conc*: 1. (f) *Idem in Psalm*: 49. (g) *Idem serm*: 109. *de Temp*.

DIE II.

DOminus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & Principibus ejus. (a) Et Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiũ. (b) Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus. (c) Heu! quid facietis in die visitationis, & calamitatis. (d)

Ipse erit Judex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ. S. Aug.

REFLEXIO.

QUam horrendum sit ait *S. Bruno* incidere in manus DEI viventis cujus judicia quamvis injusta esse non queant, sunt tamen incomprehensibilia, mirabilia tamq; districta, & abdita seu occulta, ut multa quæ humano judicio justa videntur, & bona ab ipso reprobentur, ac condemnentur, ut satis liquet Psal: 74. *Cum accepero tempus ego justitias judicabo.* Qui non tantum majora peccata, sed etiam minimum nævum judicabit.

(a) *Isa*: 8. v. 14. (b) 1. *Cor*: 4. v. 5. (c) *Hebr*: 4. v. 13. (d) *Isa*: 10. v. 3.

DIE

DIE III.

ECce venit Dominus, in Sanctis millibus suis. (a) Ut faceret judicium, contra omnes, & argueret omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra DEUM peccatores impii. (b) Et procedet, qui bona fecerunt, in Resurrectionem vitæ; Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. (c) Ibunt hi, in suppliciũ æternum: Justi autem in vitam æternã. (d)
Domine hic ure, hic seca; modò in æternum parcas. S. Aug.

REFLEXIO.

QUis enim terribilis judicii Christi recordatus, non statim in conscientia sua, quasi convellitur, ac terrore & angore cõstringitur? Atq; etiamsi vitæ meliùs quàm deteriùs actæ, sibi conscius sit. (e) S. Job in tantùm hoc horrebat judicium, ut ausus fuerit dicere: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus.* (f) Hanc etiam ob causam S. Augustinus ingemiscens ait: *Væ mihi misero, cum venerit dies judicii & aperti fuerint libri conscientiarum cum dicetur de me: Ecce homo, & opera ejus. Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite, præ cõfusione, coram Judice stabo trepidus, & confusus. Heu me miserum! quid dicam?* (g) Hoc S.
Job

Job intuens dixit: *Quantus ego sum, ut respondeam ei? etiamsi habuero quidpiam justum, nõ respondebo ei, sed ut meum Judicem deprecabor.* (h)

(a) *Judæ v. 14.* (b) *Ibid: v. 15.* (c) *Joan: 5. v. 29.* (d) *Math: 25. v. 46.* (e) *S. Gregor: Niss: in Psal: 6. de octav.* (f) *Job 14. v. 13.* (g) *S. Aug: lib: Medit: c. 39.* (h) *Job 9.*

DIE IV.

DIcet Rex Cœlestis his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. (a) Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus. (b) Eheu! ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram? (c)

Impii ex hoc duriùs puniendi sunt, in judicis mentis dolore, ex quo visuri sunt, justos gloriæ Beatitudinem meruisse. S. Isid.

REFLEXIO.

O Quam lugubre reprobis erit videre DEUM, atq; ante sui Salvatoris perire cõspectum? Ubi tunc erunt deliciæ tuæ? de quibus sola remanebit recordatio, in tui accusationem, & obligatio in tormentũ. (d) O anima mea nunquàm excidat à tua memoriâ: *Ite maledicti in ignem æternum: Venite*

Bene-

Benedicti percipite Regnum. (e) Me miserû! quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrimarum, ut præveniam fletibus fletum æternum?

(a) *Math: 25. v. 34.* (b) *Ibid: v. 41.* (c) *Isa: 10. v. 3.* (d) *Petrus Blos. Epist. 131. ad quendam Priorem.* (e) *S. Bonav: in solliloq: c. 3.*

DIE V.

NOn secundum visionem oculorum judicabit, neq; secundum auditum aurium arguet. (a) Sed judicabit in justitia. (b) Quia DEUS personas non considerat. Cuncta quæ fiunt adducet DEUS in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. (c) Heu! si justus quidem, vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

Quem ultorem timetis, facite vobis Debitorem. S. Aug.

REFLEXIO.

QUis enim nesciat, vel nomine tenus Fidelis, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & reddet unicuiq; juxta opera sua, sed non omnium ista scientia est Fratres mei, sed nec multorum: paucorum est; quia revera pauci sunt, qui salvantur. Putasne quia illi, qui cum male fecerint, lætantur, & exultant in rebus pessimis. (d) Vel sciant, vel recogitent, quia

quia veniet Dominus si dixerint ipsi, tu noli credere. (e)

(a) *Isa: 11. v. 3.* (b) *Ibid v. 4.* (c) *Eccl: 12. v. 14.* (d) *1. Petr: 4. v. 18.* (e) *Prov: 2.* (f) *S. Bernard: serm: 3. de Vigil: Nativit.*

DIE VI.

ABsit à DEO impietas, & ab Omnipotente iniquitas. (a) Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorũ restituet eis. (b) Non enim sutrahet personam cujuscunq; DEUS: nec verebitur magnitudinem cujuscunq;. (c) Sed omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. (d)

Si DEUS ita districtè modò pertulit, quando parcit; quomodo percussurus est, quando non parcens judicabit? S. Gregor.

REFLEXIO.

HEu me! Mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ! cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus? natus in combustionem, & cibus ignis. (e) Vis scire sententiam tuam? inspice vitam tuã. Mala est & manet? mala tibi sententia erit. Bona est vita tua? sta & confide: bonam habes sententiam. Noli errare. DEUS nõ

irridetur: *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* (f)

(a) *Job 34. v. 10.* (b) *Ib: v. 11.* (c) *Sap: 6. v. 8.* (d *2. Cor. 5. v. 10.* (e) *S. Bernard: serm: 16. super Cant.* (f) *Galat: 6.*

DIE VII.

NOn parcet DEUS in die vindictæ. (a) Nec acquiescet, cujuscunq; precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. (b) Sed juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & *impius* sustinebit. (c) Neq; ultra in hominis potestate est, ut veniat ad DEUM in judicium. (d) Quis enim in conspectu tuo *Domine* veniet vindex iniquorum hominum. (e)

Heu peccator! sic deprehensus, quò fugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. S. Ansel.

REFLEXIO.

NOn illic Orator est, non illic verborum lenocinium, quod veritatem Judicii surripere queat, non adulatores comitantur, non opes, non dignitas, fastus. Vacuis amicis, vacuis adjutoribus ac Patronis, & pudore suffusus quisq; relinquetur mæstus, tristis, ac fiduciæ expers. Quocunq; quisquam oculos converterit, perspicuas operũ suorum imagines cernet, ubi res ipsæ sigillatim testimonium dicent, apparentes, quales gestæ sunt. Illic condemnabitur, non

is duntaxat, qui sceleris author fuit, sed is etiam, qui malum ducem, ad peccatum secutus est. (f)

(a) *Prov. 6. v. 34.* (b) *Ibid: v. 35.* (c) *Job 20. v. 18.* (d) *Ibid: 34. v. 23.* (e) *Sap: 12. v. 12.* (f) *S. Joan: Damasc: l. 1. Parall: C. 15.*

DIE VIII.

SI justum & impiū judicabit Dominus. (a) Propter quid irritavit impius DEUM. (b) Nonne de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii? (c) Væ genti, quæ est absq; cōsilio, & sine prudentia! (d) Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. (e)

Quid dicam ego miser, cùm præsentatus fuero ante Tribunal Christi? væ diei, in quo peccavi. S. Bernard.

AFFECTUS.

QUid faciam, cùm surrexerit DEUS ad judicium? Et cum quæsierit, quid respondebo illi? (f) Numquid irritum facies Domine judicium meum? & condemnabis me, ut justificeris? (g)

(a) *Eccl: 3. v. 17.* (b) *Psal: 9. v. 10.* (c) *Math: 12. v. 36.* (d) *Deut: 32. v. 28.* (e) *Ibi: v. 29.* (f) *Job 31. v. 14.* (g) *Ibid: 40. v. 3.*

DIE IX.
MEDITATIO XLII.
De Vocatione DEI.

EGredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni. (a) Vade & vende, quæ habes, & da pauperibꝰ, & habebis thesaurum in Cœlo; & veni sequere me *Christum*. (b) Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus, (c)

Facile est iter ad DEUM, quoniam exonerando itur. Esset autem grave, si onerando iretur. S. Gvido.

REFLEXIO.

QUid facis in Paterna domo delicate miles, ubi vallum? ubi fossa, ubi hyems acta sub pellibus? ecce de Cœlo tuba canit. Tu de cubiculo ad aciem; tu de umbra egrederis ad solem corpus assvetum tunicis, loricæ onus non feret, caput opertum linteo, galeam recusat mollem otio manum durus exasperat capulus. Licèt è collo pendeat nepos, licèt sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutriverat Mater ostendat, licet in limine Pater jaceat, per calcatum pergè Patrem, & siccis oculis ad vexillum Crucis evola, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. (d)

(a)

(a) *Gen: 12. v. 1.* (b) *Math: 19. v. 21* (c) *Gen: 12. v. 2.* (d) *S. Hier: Epist: 1. ad Heliod.*

DIE X.

QUis vos fascinavit non obedire veritati Christi? (a) Nonne vocavi & renuistis, extendi manum meam, & fuit, qui aspiceret. (b) Despexistis omne consiliū meum. (c) Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo. (d) Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tēpestas ingruerit. (e) Tunc invocabunt me, & non exaudiam. (f)

Qui spreverunt voluntatem DEI invitantem, voluntatem DEI sentient vindicantem. S. Aug.

REFLEXIO.

NIhil à nobis onerosum, nihil grave exigit, cum nos vocat, non enim nos ad aratra aut ad ligones vocat, non ad scindendas terras, neq; ad vineas pastinandas. Non ergo ad laborem vocat Dominus, sed ad refectionem, vocat ad castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, quæcunq; omnia non onerant, sed ornant. (g)

(a) *Gal: 3. v. 1.* (b) *Prov: 1. v. 24.* (c) *Ibid: v. 25.* (d) *Ibid: v. 26.* (e) *Ibid: v. 27.* (f) *Ibid: v. 28.* (g) *Salv: l. 7. de Gub: DEI.*

DIE

DIE XI.

OMnis, qui reliquerit domum, aut Fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem... propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. (a) Si quis autem venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem... adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. (b) Eligite *jam* hodie cui servire potissimum debeatis. (c)

Jam incipio Christi esse discipulus, nihil eorum quæ in mundo sunt, desiderans. S. Ignat. M.

REFLEXIO.

NIhil digniùs est, quàm ut homo sit, sui Authoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis, Divini sit operis executor. (d) O quam plures sunt, qui priùs dæmonem sequuntur, quam DEUM! (e) Surge itaq;, & sequere Magistrum, ut possis vocari verus Discipulus. (f) *Quia si quis contempserit vocationem DEI excæcatur ad damnationem.* (g)

(a) *Math:* 19. *v.* 29. (b) *Luc;* 14. *v.* 26. (c) *Josue* 24. *v.* 15. (d) *S. Aug: ser:* 2. *sab: post Dõ: Quinq.* (e) *Idem ser:* 33. *ad Fratr:* (f) *S. Antõ: Padv: de Pass: Salv.* (g) *S. Aug: sup: Psal:* 9.

DIE XII.

DIrupisti *hodie* vincula mea, tibi sacrifica- bo-

bo hoſtiam laudis. (a) Elegi enim abjectus eſſe in domo DEI mei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. (b) Quia melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia. (c) Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam. (d)

O grata, & jucunda DEI ſervitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus. Gerſ.

REFLEXIO.

VOcationem Divinam ſedulo inquirerè, ac eam exequi incunctanter debemus, quia ſalus noſtra à vocatione dependet. (e) Certum enim eſt, ex recta electione ſtatus, vocationisq; ſuæ impletione, magna ex parte, dependere lætitiam cordis noſtri, conſcientiæ pacem, profectum in ſpiritu, bonam vitæ noſtræ directionem, in virtute perſeverantiam, & ipſam noſtram ſalvationem. Qui enim vocati eſtis: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* (f)

(a) *Pſal: 115 v. 17.* (b) *Ibid: 83. v. 11.* (c) *Ibid: v. 11.* (d) *Ibid: 131. v. 14.* (e) *S. Greg: l. 2. Epiſt: 161.* (f) *Sap: 1. v. 1.*

DIE XIII.

NULlus egrediatur de loco ſuo. (a) Unusquisq; in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. (b) Mane in loco tuo.

(c)

(c) Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. (d) Nemo enim mittens manus suas ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est Regno DEI. (e)

Homo, si gehennam metuis, si Regnum affectas, ne vocationem spernas. S. Basil.

REFLEXIO.

QUo devenisti o anima! pro quibus bonis qualia elegisti mala? à DEO vocata es, ut fieres virtutis particeps, vertis te ad vitium. (f) Confusio maxima est, post primam vocationem, quâ vocavit nos DEUS, & non homo, de aliquo alio curare, aut sollicitari, nisi quod nobis posset prodesse, ad conservationem, hâc vocatione condignam. (g] Quia non est laudabile, sed magis vituperabile, post vocationem interiorem, vel exteriorem verbo, vel scripto factam differere, & quasi in dubiis consilium quærere. (h)

(a) *Exodi 16. v. 29.* (b) *1. Cor: 7. v. 20.* (c) *Eccl: 11. v. 22.* (d) *Apoc: 3. v. 11.* (e) *Luc: 9. v. 62.* (f) *Philo jud: l. 2. legis alleg.* (g] *Dyon: Carth: de Paff: Monach.* (h) *S. Thom: Aquin: contra retrab: ab ingressu Relig: C. 9.*

DIE XIV.

OBsecro vos, ut digne ambuletis vocatione, quâ vocati estis. (a) Cum omni humilitate, & mansvetudine, cum patientia sup-

ſupportantes invicem in charitate. (b) Per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes (c) Propter quod ego *DEUS* elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructū afferatis, & fructus veſter maneat. (d)

Ad patiendum, & laborandum ſcias te vocatū, non ad otiandum. & fabulandum. Gerſ.

REFLEXIO.

IN quo vocatus es opere, firma anchoras, & funes, ne in pelagus paulatim navis tua impellatur, & tunc docebit te experiētia, quali pace in portu vocationis tuæ cōſtitutus fueris. (e) DEUS te vocat ad Cœlum per laborem, patientiam; & tu vocantis Domini benignitatem ſpernis? vide ne ſperneris. (f)

(a) *Ephes 4. v. 1.* (b) *Ibid; v. 2.* (c) *Coloſs: 1. v. 10.* (d) *Joan: 15. v. 16.* (e) *S. Ehrem adhort: 4.* (f) *S. Chryſoſt: Hom: 23. ſuper Epiſt. ad Hebr.*

DIE XV.

VIde miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. (a) Vocati enim eſtis, in ſocietatem Filii ejus JESU Chriſti. (b) Semper mortificationem JESU Chriſti in corpore noſtro circumferentes. (c) Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt, cum Chriſto in DEO. (d) Quare, mundamini, qui fertis vaſa Domini,

ni. (e) Et nolite conformari huic sæculo. (f)

Cur sæculum reliquisti? nonne ut DEO servires, & spiritualis homo fieres? Gers.

R E F L E X I O.

SI te Religionis tuba vocet, statim progredere, & multâ cum alachritate descendas ad certamina. (g) Imitare S. Arsenium, qui his vocibus semetipsum compellebat dicens: *Arseni, quare mundum deseruisti? cur Religiosum habitum induisti? nonne ut DEO gratus esses?* Hoc igitur age, cujus causa venisti. Esto vigilans, & diligens in DEI servitio, & cogita frequenter ad quid venisti? Nõne ut DEO servires, & spiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferveas, quia mercedẽ laborum tuorum in brevi recipies. (h)

(a) *Coloss:* 4. *v.* 17. (b) 1. *Cor:* 1. *v.* 9. (c) 2. *Cor:* 4. *v.* 10. (d) *Coloss:* 3. *v.* 3. (e) *Rom:* 12. *v.* 2. (f) *S. Chrysost. Hom:* 67. *ad Pop: Antioch.* (g) *Gerson l.* 1. *C.* 25. *§* 1.

D I E XVI.

VÆ his! qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas! (a) Et quid facient, cum inspicere ceperit Dominus? (b) Nonne sibi ipsi damnationem acquirunt? (c) Quare, nolite deficere benefacientes. (d) Sed magis satagite, ut per bona opera,

ra, certam veſtrā vocationem faciatis. (e)

Quid prodeſt vocari, quod non es? aut nomen Religioſi depone, aut Religioſo digna gere. S. Bernard.

A F F E C T U S.

DOmine quid vis facere? (f) Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. (g) Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. (h)

(a) *Eccl:* 2. v. 16. (b) *Ibid:* v. 17. (c) *Rom:* 13. v. 2. (d) *Teſs:* 3. v. 13. (e) 2. *Petr:* 1. v. 10. (f) *Act;* 9. v. 6. (g) 1. *Reg:* 3. v. 9. (h) *Pſ:* 24. v. 4.

DIE XVII.

MEDITATIO XLIII.

De Paſſione Chriſti.

Quis.

DEUS fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. (a) Rex Regum, & Dominus dominantium. (b) Redemptor tu9, Sanctus Iſrael. (c) Primogenitus omnis creaturæ. (d) Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. (e) In quem deſiderant Angeli proſpicere. (f) Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolabimini vehementer. (g)

Erige te o anima! Sangvinem fudit unicus Filius, tanti vales. S. Aug.

R E-

REFLEXIO.

MEmento te & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum, Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia; At vero per totos triginta annos, operatus est salutem in medio terræ (h) Ille deniq; dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt. (i) At verò hic, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. (k) Opus triginta annorum perdidisti, si iterum peccasti.

(a) *Isa: 9. v. 6.* (b) *Apoc: 19.* (c) *Isa: 54. v. 5.* (d) *Coloss: 1. v. 15.* (e) *Sap: 7. v. 26.* (f) *1. Petr: 1. v. 12.* (g) *Jere: 2. v. 12.* (h) *S. Bernard: serm: 11. in Cant.* (i) *Psal: 148. v. 5.* (k) *S. Bernard: serm: 20. in Cant.*

DIE XVIII.

Quid.

CIrcumdederunt me canes multi. (a) In dorso meo fabricaverunt peccatores. (b) Factus sum in derisum omni populo. (c) Faciem meam conspuere non verentur. (d) Foderunt manus meas, & pedes meos. (e) Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. (f) Tandem confixus sum Cruci. (g) Quid est, quod debui ultra facere? (h)

Tota

Tota vita Christi, crux fuit, & Martyrium, & tu quaris requiem, & gaudium? Gerſ.

R E F L E X I O.

VIde homo, quid pro te patior ait *Christus?* Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibûs afficior; vide clavos, quibûs confodior. Cum ſit tantus dolor exterior, tamen planctus eſt meus gravior, quod te ingratum experior. (i) Quidquid enim ſuſtinuit Chriſtus, non propter ſemetipſum, neq; propter Patrem ſuum, ſed ut ſalvaret genus humanum. (k)

(a) *Pſalm: 21. v. 13.* (b) *Ibid: 128. v. 3.* (c) *Thren: 3. v. 14.* (d) *Job: 30. v. 10.* (e) *Pſal: 21. v. 17.* (f) *Pſ: 68. v. 22.* (g) *Gal: 2. v. 19.* (h) *Iſa: 5. v. 4.* (i) *S. Bonav: ſerm: 2. in Paraſc.* (k) *S. Chryſoſt: Hom: de Cruce.*

D I E XIX.

Ubi?

IN *monte Olivarum.* (a) Ubi factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ Sangvinis decurrẽtis in terram. (b) *In domo Caipha,* unus aſſiſtens miniſtrorũ dedit alapam JESU. (c) *In domo Herodis,* ſprevit illum *Herodes* cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba. (d) *In domo Pilati* JESUM flagellatum tradidit eis. (e) Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper Caput ejus. (f) *In loco,* qui vocatur *Calvaria* ibi crucifixe-

runt

runt eum. (g) Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile? (h)

Nolo Domine vivere, sine vulnere, quia te video vulneratum. S. Bonav.

REFLEXIO.

QUid ergo stas o Religiosa anima! accurre, svavissimas illius guttas sangvinis lambe, noli dormire cum Petro, ne merearis audire: *Sic non potuisti, una hora vigilare mecum?* (i) Christus colaphis à ministro cæsus, nihil contra fecit. Tu autem non sustines ab homine, tecum ejusdem naturæ contumeliis affici? Imitare Dominum tuũ. O Judæi! lapides estis, sed lapidem percutitis meliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis. (k) Vide opera Domini, qui posuit prodigia super terram, flagellis cæsus est. Admirare, Filius DEI peccata non habuit spinas tamẽ nequitiæ nostræ suscepit. O quantus amor! (l) *O bone! o pie! o dulcis JESU Christe! nihil aliud à te peto in via ista, nisi ut sim semper tecum, perfecte crucifixus in Cruce.* (m)

(a) *Luc: 22. v. 39.* (b) *Ibid: v. 44.* (c) *Joan: 18. v. 22.* (d) *Luc: 23. v 11.* (e) *Math: 27. v. 26.* (f) *Ibid: v. 29.* (g) *Luc: 23. v. 33.* (h) *Isa: 65. v. 8.* (i) *S. Ans: de Passion.* (k) *S. Bernard: ser: 4. Passion.* (l) *S. Greg: Hom: l. in Ez.* (m) *S. Laur: Justin: de Incend: amor C. 4.*

DIE

DIE XX.

Quibus Auxiliis.

TOrcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. (a) Dereliquerunt me propinqui mei. (b) Et Discipuli omnes, relictô eô, fugerunt. (c) Omnes amici ejus spreverunt eum, & facti sunt ei inimici. (d) Dicens: non novi hominem. (e) Heu nemo novit Filium hominis! (f) Cognovit bos Possesorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autē me non cognovit, & populus meus nō intellexit. (g) *Solus miser homo non compatitur, pro quo tamē solo, Christus patitur.* S. Hieron.

REFLEXIO.

AUdi S. Hieronymum dicentem: *Omnis creatura compatitur Christo patienti; sol obscuratur, terra movetur, petræ scissæ sunt, velum Templi dividitur, sepulchra aperiuntur, solus homo miser non compatitur!* Cui concinit S. Augustinus: *Inspice,* ait, *Vulnera pendentis, Sangvinem morientis, pretium redimentis Cicatrices Resurgentis; Caput habet inclinatum ad osculandū, Cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimēdum.* Hæc quanta sunt cogitate; hæc in statera cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis, fixus fuit in Cruce. (h)

(a) *Isa: 63. v. 3.* (b) *Job 19. v. 14.* (c) *Math: 26. v. 56.* (d) *Thren: 1. v. 2.* (e) *Math: 26. v. 74.* (f) *Ibid.* (g) *Isa: 1. v. 3.* (h) *S. Aug: lib: de Virg.*

DIE XXI.

Cur

VEnit Filius Hominis quærere, & salvũ facere, quod perierat. (a) Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopiâ, vos divites essetis. (b) Vulneratus est, propter iniquitates nostras. (c) Mortuus est justus, pro injustis Christus, ut nos offerat DEO. (d) Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. (e) Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exẽplum, ut sequimini vestigia ejus. (f)

Domine, qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur, ut novus pro ipso infernus fiat. S. Aug.

REFLEXIO.

DIgnare æquo animo pati per meritum tuum, quod Christus dignatus est, ut te à sempiterna morte liberaret. (g) O vere miranda Divina commutatio! accepit necẽ, reddidit salutem, pertulit injurias, tribuit honores, sumpsit dolorem, contulit sospitatem. (h) Levavit pro nobis Dominus manus in Cruce, & extensæ sunt manus ejus pro nobis, ut manus nostræ extendantur

tur ad bona opera; cum enim in Cruce, noſtram operatus fuerit ſalutem, & peccatum, ac diabolum devicerit, id quidē manuum extenſio fecit, ut noſtras etiām admoneret, & provocaret. (i)

(a) *Luc:* 19. *v.* 10. (b) 2. *Cor:* 8. *v.* 9. (c) *Iſa:* 53. *v.* 5. (d) 1. *Petr:* 3. *v.* 18. (e) 2. *Cor:* 5. *v.* 15. (f) 1. *Cor:* 2. *v.* 21. (g) *S. Aug: tract:* 3. *in Joan:* (h) *Caſſiod: in Pſalm:* 30. (i) *S. Aug: in Pſalm:* 62.

DIE XXII.

Quomodo

ECce Agnus DEI! (a) Sicut Ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe, obmutuit. (b) Ego quaſi Agnus manſvetus, qui portatur ad victimā. (c) Cum omni humilitate, & manſvetudine, & patientia. (d) Qui cum malediceretur, non maledicebat. (e) Nihil reſpōdit, ita, ut miraretur *Pilatus.* (f) Quis audivit unquam tale, & huic ſimile? (g) Ideaq; per patientiam curramus ad propoſitū nobis certamen, (h) Aſpicientes in JESUM Conſummatorem. (i)

Mihi eſt optabiliùs malè pati pro Chriſto, quam honorari pro Chriſto. S. Chryſoſt.

REFLEXIO.

BEata anima illa, quæ amabilem vitam, & Paſſionem dilecti ſui JESU Chriſti, tan, quàm

quàm pretiosam margaritam, in scrinio memoriæ suæ, semper reconditam habet, & ubiq; secum circumfert. Dici non potest, quantùm utilitatis adferat devota, & frequens compassio Christi. Hinc enim peccatorum venia, & pravorum affectuum extinctio, hinc cordis puritas, & mentis illuminatio, hinc conscientiæ pax, & tranquillitas, sanctaq; erga DEUM fiducia. Hinc vera humilitas, & vera charitas. (k) Cui concinit S. Leo, dicens. *Audite, & percipite sublimissimum Divinæ misericordiæ Sacramentum: Nam certa, atq; secura est, expectatio promissæ Beatitudinis, ubi est participatio, Dominicæ Passionis.* (l)

(a) *Joan:* 1. v. 29. (b) *Isa:* 53. v. 7. (c) *Jer:* 11. v. 19 (d) *Eph:* 4. v. 3. (e) 1. *Petr:* 2. v. 23. (f) *Marci* 15 v. 6. (g) *Isa:* 66. v. 8. (h) *Hœbr:* 12. v. 1. (i) *Ibid:* v. 2. (k) *Ludov: Blos.* (l) *S. Leo.*

DIE XXIII.

Quando

IN die Desponsationis illius. (a) Tempore Visitationis suæ. (b) In tempore quo restitues Regnum Israel. (c) Tempore æstatis. (d) Ante diem Festum Paschæ. (e) Horâ tertiâ, crucifixerunt eum. (f) Horâ sextâ, obscuratus est sol. (g) Et

circa

circa horam nonam, clamavit voce magna. (h) Emisit Spiritum. (i)

Moritur eheu! vita æterna, ut te mortalem, reddat æternum. S. Bonav.

REFLEXIO.

EXeamus ad eum vel cum eo, ad locum qui dicitur *Golgotha*, & videamus in humilitate, vel pœnam judicati, vel gloriosum, & terribile mysterium judicaturi. Illic enim ipse duorum Latronum medius, alterum, à dextris pœnitentem suscepit, alterum à sinistris in nequitia perseverantem, in damnatione reliquit. (k) Sit tibi JESUS semper in corde, & nunquàm Imago Christi crucifixi, ab animo tuo recedat. Hæc tibi sint cibus, & potus dulcedo, & gloria tua, mel tuum, & desiderium tuũ, lectio tua, & meditatio tua. (l)

(a) *Cant:* 3. *v.* 11. (b) *Jerem:* 6. *v.* 15. (c) *Act:* 1. *v.* 6. (d) *Gen:* 25. (e) *Joan:* 19. *v.* 1. (f) *Marci* 15. *v.* 25. (g) *Luc:* 23. *v.* 45. (h) *Math:* 27. *v.* 46. (i) *Ibid: v.* 50. (k) *Rupertus in Math:* 26. (l) *S. Bern: in Form: honesta vitæ.*

DIE XXIV.

O Vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. (a) Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem *Cœli, & terræ* in diademate, quô coronavit illum Mater sua, in die

desponsationis illius, (b) Recogitate eũ, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversus seipsum contradictionem. (c) Interrogate Gentes: quis audivit tanta horribilia? (d) Convertimini ergo peccatores, & facite justitiam coram Domino, credentes, quia faciet misericordiam suam. (e)

Cur addimus afflictionem afflicto, magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quam vulnera corporis sui. S. Bernard.

AFFECTUS.

HEu! justus perit. (f) Et quidem morte turpissima. (g) Ah dolor! quis dabit capiti meo aquam? & oculis mei fontem lachrimarum? (h) Dixi: nunc cœpi. (i) Mihi tamen vivere Xstus est, & mori lucrum. (k)

Domine JESU! Ecce duplici debito me obligasti: nam & pro eo, quod dedisti, & pro eo, quod mei causa perdidisti, debitor tibi sum. Et pro mea quidem vita bis à te mihi data, semel in creatione, semel in Redemptione, quid magis juste tibi reddā, quàm ipsam non habeo: pro tua autem pretiosa anima, ita contribulata, quid ab homine digne rependi possit, non invenio. (l) Dignus plane est morte, qui tibi Domine JESU recusat vivere. (m)

(a) Thren: 1. v. 12. (b) Cant: 3. v. 11. (c) Habr: 13. v. 3. (d) Jer: 18. v. 13. (e) Tob 13. v. 8. (f)

8. (f) *Isa: 57. v. 1.* (g) *Sap: 2. v. 20.* (h) *Jer: 9. v. 1.* (i) *Psal: 76. v. 11.* (k) *Philip: 1. v. 21.* (l) *S. Anselmi medit: 9.* (m) *S. Bern: serm: 20. in Cant.*

DIE XXV.
MEDITATIO XLIV.
De Resignatione in Divinam Voluntatem.

QUi adhæret Domino, unus spiritus est. (a) Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. (b) Reformamini igitur in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona. (c) Hæc est enim voluntas DEI, sanctificatio vestra. (d)

Vis gaudium habere sempiternum? adhære illi, qui sempiternus est. S. Aug.

REFLEXIO.

SI vis o Religiose quotidie Divinæ volũtati adhærere, & ex integrò, ad omnes illius nutus promptum, paratumq; te offerre, veniam noxis obtines, tantumq; gratiæ mereris, ut possis, non tantum inferorum rogos, sed & piaculares flammas non timere. Sincera hæc tui oblatio, ad omnẽ DEI voluntatem exequendam pœnitentiarum, & indulgentiarum loco est. Et Pius Blosius hæc habet: *Bona voluntas virtutum omnium fundus sive fundamentum est. Quisquis enim ita bona præditus est voluntate, ut se abneget,*

get, ac propriæ renuntiet voluntati, seq; liberrimè resignet voluntati Divinæ, ejus bona voluntas est, & de vita æterna obtinendæ, quandam se sentit habere certitudinem.

(a) *1. Cor: v. 17.* (b) *Rom: 14. v. 8.* (c) *Rō: 12. v. 2.* (d) *1. Thessal: 4. v 3.* (e) *Taulerus in fine serm: de Sanctis.* (f) *Ludov: Blos: l. de vol.*

DIE XXVI.

SI bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? (a) Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligētes, quæ sit voluntas DEI. (b) Dicentes: *fiat voluntas DEI.* (c) Dominus est: Quod bonum est in oculis suis faciat. (d) Fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra. (e) Domine quid me vis facere. (f) Domine non mea voluntas, sed tua fiat. (g)

Relinque te, resigna te, & frueris magna interna pace. Gers.

REFLEXIO.

NUlla est perfectior, & excellentior Resignatio, quàm in sui derelictione esse resignatum: Neq; est quod quis admodum prægravetur, si pàrum experiatur spiritualis dulcedinis: cogitet potiùs ea se indignum. Vera in omnibus tum certis, tùm incertis rebus. resignatio sui, in voluntatē DEI, hominem proculdubio extra casus, & pericula omnia, eripit, atq; in omnibus verâ

râ cum pace gaudere facit. (h) Cui consonat Gers: *Non te magni reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione, atq; dulcedine: quia in istis non cognoscitur amator virtutis, nec in istis consistit perfectus, & perfectio hominis,* In quo ergo? *in offerendo te, ex corde voluntati Divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, sed quæ DEI.*

(a) *Job 2. v. 10.* (b) *Eph: 5. v. 17.* (c) *Act: 2.* (d) *1. Reg: 3. v. 18.* (e) *Math: 6. v. 10.* (f) *Act: 9. v. 6.* (g) *Luc: 22. v. 42.* (h) *S. Suzo.* (i) *Gerson l. 3. c. 25. § 3.*

DIE XXVII.

QUis es tu, ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnũ, ita arescit. (a) E oblitus es Domini factoris tui, qui te tendit Cœlos, & fundavit terram. (b) Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis. (c) Nunquid ego non sum vobiscum omnibus diebus, & usq; ad consummationem sæculi? (d) Conjungere DEO, & sustine, dicit Dominus. (e)

Passus es aliquid mali: si velis, non es malum; Gratias age DEO, & mutatur malum in bonum. S. Chrysost.

REFLEXIO.

ERis inter adversa & prospera, mutabiliũ temporum tenens quandam æternitatis ima-

imaginem, dum te cœperis renovare, & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni DEI; apud quem, non est trasmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quippe sicut ipsa, ita & tu eris in hoc mũdo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. (f) Unde Religiosus perfectioni studens, nequaquàm ob quoscunq; demum sinistros casus, aut infortunia tristari debet, sed suam voluntatem in cunctis, tùm adversis, tùm prosperis, cum Divina voluntate conformare, sibiq; de hac complacere. Quæcunq; autẽ fiunt ad Divinam iustitiam, respicere, ac cum Psalmista dicere debemus: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* (g)

(a) *Isa: 51. v. 12.* (b) *Idem v. 13.* (c) *1. Petri 3. v. 13.* (d) *Math: 28. v. 20.* (e) *Eccl: 2. v. 3.* (f) *S. Bern: ser: 21. in Cant.* (g) *Psal: 118.*

DIE XXVIII.

LEvate in Cœlum oculos vestros, dicit Dominus. (a) Venite ad me, audite; & vivet anima vestra. (b) Ego Dominus DEUS tuus, docens te utilia, gubernans te in via, quâ ambulas. (c) Et sponsabo te in æternum, & scies, quia ego Dominus. (d) Et non est ultrà DEUS, nec est similis mei. (e) Meliùs igitùr confidere

dere in Domino, quam confidere in homine. (f)

Projice te in DEUM: Non se subtrahet ut cadas. S. Aug.

REFLEXIO.

QUantam de suis famulis DEUS curam gerat, quod videlicet nequaquam aliquid eis fieri sineret, nisi ad eorum utilitatem, spiritualemq; animæ fructum, ac ad majorem suam gloriam propagandam. Quapropter committe te o Religiose, sine omni exceptione, in DEI voluntatem, & imitare quemdam devotum hominem, qui teste *Salmerone* Alphabetum recitavit, & dixit: *Domine tu junge literas, quod magis placet, mihiq; magis expedit largire.* Sic enim aut dubie Benedictione, nedum temporali, sed multò magis Cœlesti impertieris cum illo Agricola, qui ex agris suis semper, & plures, & meliores fructus cum reciperet, rogatus causam à vicinis respondit: *Se semper tempestatem, quam vellet habere eam scilicet quā DEUS misisset, nec etiam aliam se velle.* Igitur ut & tu, à Divina bonitate benedicaris scilicet sanctissimo ejus arbitrio, te tàm in adversis, quàm prosperis resignando. (g)

(a) *Isa: 51. v. 6.* (b) *Ibid: 55. v. 3.* (c) *Ibi 48. v. 17.* (d) *Osee 2. v. 20.* (e) *Isa: 46. v. 9.* (f) *Psal: 117. v. 8.* (g) *Salmeron tom: 10. tract: 11. p. 103. in vit: PP.*

DIE

DIE XXIX.

AD punctum in modico, dereliqui te. (a) Noli ergo timere. (b) In fletu afflicti venient, & in misericordia reducam eos. (c) Convertam eos, quia miserebor eorum, & erunt sicut fuerunt. (d) Et convertam planctum in gaudium. (e) Quid ergo timidi estis modicæ fidei? (f) Magis acquiesce ei *DEO* & habeto pacem. (g).

Cum ægrotas, credis te medico: cum cæcus es, committis te ductori puero. Quis furor, non Creatori tuo? S. Aug.

REFLEXIO.

VOluntas DEI est aliquando, ut sanus sis, aliquando ut ægrotes; si quando sanus es, dulcis est voluntas DEI: & quando ægrotas, amara est voluntas DEI, ideo non recto corde es; Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatē DEI, sed DEI vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, & rectum habebis cor. (h) Disce igitur subjectus esse DEO, ut non quod ipse vis, eligas, sed quod DEO, scias esse placitum. (i)

(a) *Isa: 54. v. 7.* (b) *Math: 11.* (c) *Jer: 31. v. 9.* (d) *Zach: 10. v. 6.* (e) *Jer: 21.* (f) *Math: 8. v. 26.* (g) *Job: 22. v. 11.* (h) *S. Aug: super Psal:*

Psal: 35. (i) *S. Ambr: l. 4. sup: Luc: 22. In illud non mea voluntas.*

DIE XXX.

SI Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. (a) Hoc faciemus, siquidem DEUS permiserit. (b) Qui cum enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in Cœlis, ipse meus Frater, soror, & Mater est. (c) Imo qui facit voluntatem DEI, manet in æternum. (d) Quoniam non dabit DEUS in æternum fluctuationē justo. (e)

Hoc est totum bonum homini, ut conformet se voluntati Divinæ. S. Thom. Aqu.

AFFECTUS.

DOce me Domine facere voluntatem tuā, quia tu es DEUS meus. (f) Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO spem meam. (g) Non potest esse, nisi bonum, quidquid de me feceris Domine, si me vis esse in tenebris, sis benedictus, & si me vis esse in luce, sis benedictus, & si me vis tribulari, sis æquè benedictus. (h)

(a) *Jacob 4. v. 15.* (b) *Hebr: 6. v. 3.* (c) *Math: 12. v. 50.* (d) *1. Joan: 2. v. 17.* (e) *Psal: 54. v. 23.* (f) *Psal: 142. v. 10.* (g) *Psal: 72. v. 28.* (h) *Gers: l. 3. de Imit: C. 17.*

DE-

DECEMBER.

DIE I.

MEDITATIO XLV.

De Fide.

VOsmeitplos tentate, si estis in fide. [a] Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In Nomine meo dæmonia ejicient, lingvis loquentur novis. [b] Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. [c] Quod ergo tu facis signum *Luther impie* ut videamus, & credamus tibi? [d]

Hæretici veræ fidei signa non faciunt, faciunt tamen signa, æternæ damnationis. S. Chrysost.

REFLEXIO.

MUlta sunt, quæ in Ecclesiæ gremio, te justissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; Gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede *Petri Apostoli,* cui pascendas oves suas, post Resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ Ecclesiæ Nomen, quod non sine causa, inter tàm multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Hæretici

ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam veniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum, vel miraculum audeat oſtendere. (e) *Habere jam non poteſt DEUM Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* (f)

(a) *2. Cor: 13. v. 5.* (b) *Marci 16. v. 17.* (c) *Ibid: v. 18.* (d) *Joan: 6. v. 30.* (e) *S. Aug: contra Epiſt: Manich: Cap: 4.* (f) *S. Cypr: lib. de unit: Eccl:*

DIE II.

O Inſenſati Galathæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati *Catholicæ*? (a) State ſuper vias, & videte: & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. (b) Hodie dum lucem habetis, credite in lucem, ut Filii lucis ſitis. (c) Ut non vos tenebræ comprehendant. (d)

Magna inſania eſt, Evangelio non credere, cujus veritatem Sangvis Martyrum clamat. Picus Mirand.

REFLEXIO.

QUis enumeret, quam multi, quantâlibet ſævitia crudelitatis occidi, quam Chriſtum DEUM, & Fidem veram Catholicam negare maluerit. A Chriſto autem DEO non ſolum colendo, verum etiam confiten-

do

do tantam per orbem terræ Martyrum multitudinem metus revocare non potuit, non levis offensionis animorum, sed immensarum variarumq; pœnarum, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur. (e) *Testimonia tua o Christe JESU credibilia facta sunt nimis.* (f) Nisi verum esset Evangelium nunquam sangvine defenderetur. (g) Felices, & Beati sunt illi, qui vocati à DEO, in luce Fidei ambulant Quia teste Prophetâ: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit illis.* (h)

(a) *Gal: 3. v. 1.* (b) *Jer: 6. v. 16.* (c) *Joã: 12. v. 36.* (d) *Ibid: v. 30.* (e) *S. Aug: 22. civit. 6.* (f) *Psal: 92.* (g) *S Hieron: Epist: 150. ad Hediviam quæst: 11.* (h) *Psal: 147. v. 20.*

DIE III.

QUis vos impedivit, veritati non obedire? (a) Nonne Scribæ, & Pharisæi, & Hypocrytæ? (b) Juxta id, quod *Luther* jusserat prædicantes. (c) Heu attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos, in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. (d) A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? (e)

***Portæ inferi, sunt hæreticorum doctrinæ, per quas illecti homines, ducuntur ad tartara.* S. Hieron.**

RE-

REFLEXIO.

PRæ cæteris malis, maximè hæresis est fugienda; Nam ipsa destruit veram fidē, quæ est primum inter dona DEI fundamētum cæterorum. Unde hoc unice laborat diabolus, ut fundamentum hoc destruat, eumq; in finem, socios suos illis Psalmistæ verbis excitas: *Exinanite usq, ad fundamentum in ea.* (f) Hinc S. Leo ait: *Sicut decipiendis primis hominibus diabolus ministerium sibi serpentis assumpsit, ita hæreticorum lingvas ad decipiendos rectorum animos veneno suæ falsitatis adscivit.* (g) Et quamvis sint hæreticorum quædam scripta, quæ videantur eruditionis & pietatis speciem habere, nunquàm tamē vacua sunt venenis, quibûs homines enecant, & ad tartara ducunt. (h)

(a) *Gal:* 5. *v.* 7. (b) *Math:* 7. *v.* 29. (c) 1. *Paralip:* 30. *v.* 6. (d) *Math:* 7. *v.* 15. (e) *Ibid:* *v.* 16. (f) *Psal:* 136. (g) *S. Leo ser:* 5. *de jejun.* (h) *Idem Epist:* 93.

DIE IV.

NE transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Parentes tui. (a) Sed interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi majores suos, & dicent tibi. (b) Quæ est Ecclesia DEI vivi. (c) Noli ergo altum sapere sed time. (d) Quoniam sicut qui multum comedit, non est ei bonum, sic

qui

qui scrutator est Majestatis opprimetur à gloria. (e)

Domine si est error quod credimus, à te decepti sumus. Richardus à S. V.ct.

REFLEXIO.

DUo Parentes, qui nos genuerunt ad mortem Adam & Eva. Parentes, qui genuerunt ad vitam, Christus & Ecclesia. (f) Ecclesia Mater est, quæ nos de Christo peperit, Hæc Martyrum sangvine parturivit, hæc in sempiternam vitam peperit, & fidei lacte nutrivit & nutrit. (g) Hæc Ecclesia nunquam ut cunq; fluctuet non submergitur. (h) Faciliùs est solem extingvi, quam Ecclesiam obscurari. Quis inquis ista prædicat? Is, qui eam fundavit: *Cœlū & terra transibunt, sed verba mea non transibunt.* dicit Dominus. (i) Quibus verbis promisit: *Portæ inferi, non pravalebunt super eam.* (k)

(a) *Prov:* 22. v. 28. (b) *Deut:* 32. v. 7. (c) 1. *Tim:* 3. v. 15. (d) *Rom:* 11. v. 20. (e) *Prov:* 25. v. 27. (f) *S. Aug: ser:* 109. *de temp.* (g *Idē Epist:* 28. *ad Lætam.* (h) *S. Chrysost: Hom: in Eutrop.* (i) *Math:* 24. (k) *Math:* 16. v. 18.

DIE V.

SI estis in fide *vera.* (a) State in fide. (b) State succincti lumbos vestros, in veritate. (c) Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. (d) Quoniam accepistis,

ftis, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt verè Verbum DEI. (e) Qui ergo verbū meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam. (f)

Eccleſiam Catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegeris à contradictione linguarum. S. Aug.

REFLEXIO.

TOta Eccleſia conſtans ex hominibus fidelibus, (*quia fideles omnes membra ſunt Xſti*) habet illud caput poſitum, in Cœleſtibus, quod gubernat corpus ſuum, & ſi ſeparatum eſt à viſione, ſed annectitur charitate. (g) Et ſi quis alienus ab Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero Filiorum DEI. (h) Hin S. Iſidorus ait: *Eccleſia Catholica ſicut male in fide viventes in ſe patienter tolerat ita male credentes à ſe repellit*, time ne & tu repellaris. (i)

(a) 2. *Cor:* 13. *v* 5. (b) 1. *Cor:* 16. *v.* 13. (c) *Eph:* 6. *v.* 14. (d) *Hæbr:* 13. *v.* 9. (e) 1. *Theſſ:* 2. *v.* 13. (f) *Joan:* 5. *v.* 24. (g) *S. Aug: ſup: Pſal:* 56. (h) *Idem tract:* 4. *de Symb:* c. 10. (i) *S. Iſidor:* l. 2. *de ſummo bono Cap.* 16.

DIE VI.

JUſtus ex fide vivit. (a) Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit, ad ſalutem. (b) Credidit *Abraham* DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiā. (c)

Ita Sáncti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. (d) In omnibus ergo sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extingvere. (e)

Credenti præmium dabitur, si quod creditur, & geratur. S. Cypr.

REFLEXIO.

VErum enim vero cum Salvator dicat: *Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* (f) Cur ergo tot nedum ex infidelibus, sed etiam ex Christianis Catholicis, ut passim SS. Patres affirmant ad gehennam præcipitantur? Respondetur: quod fides sit duplex: una *mortua*, altera *viva*: igitur his tantum promittitur vita æterna, qui pollent fide *vivâ*, hæc autem teste S. Gregorio est: *quæ hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.* (g) Unde & si quam plures Christianorum fidem habeant, quia tamen operibus fidei carent, eorum fides est *mortua*. Hinc S. Jacobus ait: in quonā vera consistat fides dicens: *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est? offerens Isaac Filium suum super Altare?* (h) Vides, quoniàm fides cooperabatur operibus illius. Imitare & tu.

(a) *Rom:* 1. *v.* 17. (b) *Ibid:* 10. *v.* 10. (c) *Ib:* 4. *v.* 3. (d) *Hebr:* 11. *v.* 33. (e) *Ephes* 6. *v.* 16.

(f) *Joan 6. v. 41.* (g) *S. Gregor: l. Moral: 2.* (h) *S. Jacob: 2. v. 21.*

DIE VII.

FIdes est sperandarum rerum argumentũ, non apparentium. (a) Filius hominis, putas inveniet fidem in terra. (b) Sed audite verbum DEI irrisores. (c) Qui non credit, non videbit vitã, sed ira DEI manet super eum. (d) Qui non crediderit, condemnabitur. (e) Imo, qui non credit, jam judicatus est. (f)

Nec amare DEUM, nec diligere quis potest, qui in Ecclesia ejus non est. S. Aug.

REFLEXIO.

MAla omnino res est impius, & is, qui circa fidem improbus invenitur. (g) Confitentur verbis, & factis negant. (h) Horum enim fides est prope fides dæmoniorum. Dæmones dixerunt Christo: *Tu es Filius DEI.* (i) Confitebantur dæmones, quod non credebant homines, illi tremuerunt, illi occiderunt. Et Petrus hoc dixit Domino dicenti: *quem me esse dicitis? Tu es Christus Filius DEI vivi*, & Dominus: *Beatus es Simon Barjona.* (k) O Domine, hoc tibi dixerunt & Dæmones, quare ipsi non sunt Beati? Quare? quia dæmones hoc dixerunt timore, *Petrus* autem amore. (l)

(a) *Hebr: 11. v. 1.* (b) *Luc: 18. v. 8.* (c) *Isa: 28.*

28. v. 8. (d) Joan: 3. v. 36. (e) Marci 16. v 15. (f) Joan: 3. v. 18. (g) S. Athanas: Ep: ad Adelphium. (h) Jacob: 2. (i) Marci 5. v. 7. (k) Math: 16. v. 17. (e) S. Aug: Hom: 17. ex 50.

DIE VIII.

QUid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? (a) Nunquid fides, si non habeat opera mortua nō est in semetipsa? (b) Sicut enim corpus sine spiritu, mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. (c) Nonne ex operibus justificatur homo? & non ex fide tantum. (d)

Credis in Christum? fac opera Christi, ut vivat fides tua. S. Bernard.

AFFECTUS.

TEstimonia tua *o Ecclesia* credibilia facta sunt nimis. (e) Quid adhuc egemus testibus? (f) Satage ergo o Religiose, elicere frequentiores actus fidei & excita in corde tuo desiderium pro Christo moriendi; ut autem ex hoc desiderio, coronam reportes æternam, declina peccata, & fac bona opera fidei, quæ si compleveris, confide in DEUM, quia non carebis mercede. (g)

(a) *Jacob 2. v. 4.* (b) *Ibid: v. 17.* (c) *Ibid: v. 26.* (d) *Ibid: v. 24.* (e) *Psal: 92. v. 5.* (f) *Math:*

Math: 26. v. 65. (g) *P. Abrah. à S. Clara ser: 1. p. 2. num: 9.*

DIE IX.
MEDITATIO XLVI.
De Spe.

QUæ est ista fiducia quâ niteris? (a) An speras in baculo arundineo, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eã. (b) Nunquid qui confidit in divitiis suis non corruet? (c) Quare non sublime sapere, neq; sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo. (d)

Confidis in homine, qui mendax est; non confidis in DEO, qui verax est? quanta dementia! S. Aug.

REFLEXIO.

AUdi comminantem Prophetam quid dicit: *Maledictus homo, qui confidit in hominibus, & à DEO recedit.* (e) Quia in quibus spẽ ponimus sæpe in necessitatibus nostris nos derelinquunt, partim quia vitæ brevitati præ aliis subjecti sunt. Unde Deut: dicitur: (f) *Surgant, & opitulantur vobis, & in necessitatibus vos protegant.* Partim quia facile mutant affectum, & irascuntur & alta sẽper prætendunt. Unde Job lamentatur dicens: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens.* Torrentes hyberno tempore, quando viatores

tores aquâ minime indigent, aquis abundant; in æstate vero quando terra arida est, & sicca, & præ nimiis solis ardoribus, mundus quasi aret iidem torrentes sicci sunt, & exhausti. Sic respectus humani, in quibus confidimus.

(a) *4. Reg:18. v.19.* (b) *Ib: v. 21.* (c) *Prov: 11. v.28.* (d) *1. Tim: 6. v. 17.* (e) *Jer: 17. v. 5.* (f) *Deut: 32. v. 38.*

DIE X.

IN mundo præssuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. (a) Confide Fili. (b) Et erit tibi anima tua in salutē, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus: (c) Habe ergo fiduciam in Domino DEO tuo. (d) Quia bonus est Dominus, Dominus sperantibus in eum. (e) Et confortans in die tribulationis, sperantes in se. (f)

Pone totam fiduciam tuam in DEO, & sit ipse timor tuus, & amor tuus. Gerson.

REFLEXIO.

SIcut anchora habet duas laterales cuspides, ita spes quoq; duabus virtutibus sociata esse debet, nimirum timore, & amore DEI. Ut ergo solitam quisq; sciat praxim spei exercendæ, debet conjungere semper filialem amorem, & timorem cum ea. Nàm ut S. Bernardinus ait; *Cum timore,*

more, & amore spes magnum habet meritum. (g) Hinc S. Augustinus: *Eja Fratres* inquit *hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore, quia qui sperat & non timet, negligens est; qui autem timet & non sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* (h) Merito ergo ut S. David ait: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.* (i)

(a) *Joan: 16. v. 33.* (b) *Math: 9. v. 22.* (c) *Jer: 39. v. 18.* (d) *Prov: 3. v. 5.* (e) *Thren: 3. v. 25.* (f) *Nahum 1. v. 7.* (g) *S. Bernadinus ser: 15. in Psal: Qui habitat.* (h) *S. Aug: serm: 15.* (i) *Psalm: 46. v. 11.*

DIE XI.

FIduciam autem talem habemus per Xstũ ad DEUM. (a) Non quia sufficientes sumus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. (b) Hæc est fiducia, quam habemus ad DEUM, quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. (c) Beati ergo omnes, qui confidunt in eo. (d)

Omnia possumus in eo, sine quo nihil possumus. S. Leo.

REFLEXIO.

MEmento ergo te fidere in DEO, & si motus est pes tuus, si titubat? si aliqua non superas? si mergi incipis? dic: *Domine*

pereo,

pereo, libera me; dic: *Domine pereo, ne peream.* (e) Nam qui confidit in Domino, non deseretur ab eo, in quacunq; tribulatione fuerit. (f) Dic cum Regio Vate: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* | *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum si exurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo.* (g) DEUS enim illum, qui cōfidit in illo, velut pupillam oculi, semper defendit, & in periculis protegit.

(a) *2. Cor: 3. v. 4.* (b) *Ibid: v. 5.* (c) *1. Joan: 5. v. 14.* (d) *Psal: 2. v. 13.* (e) *S. Aug: ser: 13. verb: Dom:* (f) *Thom: à Kemp: in hort: Rosar: C. 11.* (g) *Psalm: 26.*

DIE XII.

NOlite amittere confidentiam. (a) Sed consolamini, consolamini. (b) Quoniā DEUS sempiternus est Dominus. (c) Qui dat lasso virtutem, & his, quibus non sunt fortitudinem, & robur multiplicat. (d) Cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur. (e) Qui enim sperant in Domino mutabunt fortitudinem. (f)

Nihil Omnipotentiam DEI clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit eos, qui sperant in se. Granat.

REFLEXIO.

ADmirare Omnipotentiam DEI, qui, te

Omni-

Omnipotentem facit sperantem in se; & dic cum Mellifluo Doctore: *Tu es Domine spes mea. Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid optandum. Tu es Domine spes mea; in omnibus omnipotens sum, tua Omnipotentia. Hæc unica mihi promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendunt alii meritum, sustinere se jactent pondus diei & æstus. Jejunare se dicant in Sabbatho, postremò non esse sicut cæteros hominum glorientur. Mihi autem adhærère DEO bonum est, & ponere in Domino DEO spem meam, & sum Omnipotens.* (g)

(a) *Hæbr: 10. v. 35.* (b) *Isa: 40. v. 1.* (c) *Ib: v. 28.* (d) *Ibid: v. 29.* (e) 1. *Machab: 2. v. 61.* (f) *Isa: 40. v. 31.* (g) *S. Bernard: ser: 9. in Psal.*

DIE XIII.

RESpicite Filii nationes hominum, & scitote quia nullus confusus est, qui speravit in Domino. (a) In te *Domine* speraverunt Patres nostri, speraverunt, & liberasti eos. (b) Non timebis tamen quid faciat mihi homo. (c) Quoniam factus est mihi Dominus in refugium, & DEUS meus in adjutorium spei meæ. (d)

Sic DEUS intendit singulis, ac si vacet à cunctis; & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis. S. Greg.

REFLEXIO.

O Quanto conatu non laborandum erit ad obtinendam hanc DEI fiduciam! Considera

dera summum Christi amorem erga te, & omnes, ac singulos homines; Exalta ergo, & leva vocem tuam ad laudandum, & benedicendum, tàm benignum Dominum dicendo devote: *Te DEUM laudamus*: vel simile quid. Et deplora mundi cæcitatem, quod videlicet tam pauci reperiantur, qui suam spem in Christum Crucifixum reponant, cum pleriq; in rebus fluxis suam collocent fiduciam. O dementia! *clamat S. Bernardus*. Tu autem in virtute tua nihil ponas, in viribus tuis, non confidas, sed confidentia tua sit, in Christo. (e)

(a) *Eccl: 2. v. 11.* (b) *Psal: 21. v. 5.* (c) *Ps: 55. v. 11.* (d) *Psal: 93. v. 22.* (e) *S. Bernard: serm: 5. ad Sororem.*

DIE XIV.

NE paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. (a) Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. (b) Si; dixeris: ah vires non suppetunt. (c) Ne timeas. (d) Sed spera in eo, & ipse faciet. (e) Et reddet *homini* secundum opus suum. (f)

Protegitur mortalis à mortalibus, & securus est: protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit? trepidabit, si diffidit. S. Aug.

RE-

REFLEXIO.

ATtende ſedulo, ne te ipſum decipias. Sæpe enim tibi videbitur te diffidentiam tui ipſius, & confidentiam in DEO jam aſſecutum eſſe, cum tamen adhuc longe aliter affectus ſis. Quod ex tui animi motibus, ſi aliquando labaris, facile cognoſcas. Nam ſi lapſus in te triſtitiam, ac de progreſſu bonorum operum, te velut deſperare faciat: evidens ſignum eſt, te in te ipſo ſolo, & non in DEO confidere. E contrariò, ſi veram de te ipſo diffidentiam, & in DEO ſolo confidentiam habueris, non magnoperè miraberis lapſus tuos, non multum propterea triſtaberis, quoniam agnoſces illos, ex tua fragilitate contigiſſe, propterea q; non minuent in te, confidentiam in DEUM ſolum. (g)

(a) *Prov: 3. v. 5.* (b) *Ibid: v. 26.* (c) *Prov: 24. v. 12.* (d) *Act: 27. v. 24.* (e) *Pſal: 36. v 5.* (f) *Prov: 24. v. 29.* (g) *Caſtaniza cap: 3.*

DIE XV.

HAbe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. (a) Qui enim confidit in cogitationibus ſuis, impie agit. (b) Qui autem confidunt in Domino, ſicut Mons Sion, non commovebitur in æternum. (c) Benedictus igitur Vir. qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. (d) Fac

Fac quod in te est, & DEUS aderit bonæ voluntatis tuæ. Gerson.

R E F L E X I O.

TRibus in rebus Christiani, culminis fundamenta consistunt, in spe, & fide, & charitate. Tolle spem, torpet humanitas tota: tolle spem artes virtutesq; universæ cessabunt. Tolle spem & interempta sunt omnia. Quid facit apud Litteratorem puer, si literarũ non sperat fructus? Quid ratem profundo gurgiti Nauta committit, si ei nunquam lucrum, nunquam portus desideratus occurret! Quid miles non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æstatis injurias, sed seipsum contemnit, si gloriæ spem futuræ non gerit? Quid Agricola semina spargit, si sudoris sui præmium non colligit messium? Quid Christianus credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus, non sperat esse venturum? [e]

[a] *Prov: 3. v. 5.* [b] *Ibid: 12. v. 2.* [c] *Ps: 124. v. 1.* [d] *Jer: 17. v. 7.* [e] *S. Zeno serm: de fide spe charitate.*

D I E XVI.

NOli timere. (a) Ecce DEUS vester: ecce Dominus DEUS in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur. (b) Sicut Pastor gregem suum pascet in brachio

suo,

suo, congregabit agnos, & in sinu suo levabit, quos ipse portabit. (c) Beatus igitur Vir, cujus est Nomen Domini spes ejus. (d) Quoniam qui sperant in Domino... current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. (e)

Tantùm per nos operabitur DEUS, quantùm se nostra in eum fiducia extenderit. S. Basil.

AFFECTUS.

SI consistant adversum me castra, non timebit cor meum. (f) Quoniam Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? (g) Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? (h)

(a) *Isa: 40. v. 9.* (b) *Ibid: v. 10.* (c) *Ibid; v. 11.* (d) *Psal: 39. v. 5.* (e) *Isa: 40. v. 31.* (f) *Psal: 26. v. 2.* (g) *Ibid: v. 1.* (h) *Ibid: v. 1.*

DIE XVII.
MEDITATIO XLVII.
De Charitate.

SUper omnia hæc, charitatē habete, quod est vinculum perfectionis. (a) Si lingvis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum, velut æs sonans, aut Cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; Et si habuero omnem fidem, ita, ut omnes mon-

tes

tes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. (b)

Nihil majus est animo habente charitatem, præter eum, qui dedit charitatem. S. Aug.

REFLEXIO.

NEmo est, qui non amet: sed quæritur, quid amet? Non ergo admonemur, ut non amemus; sed ut eligamus quid amemus? (c) Num vobis dicitur: nihil ametis? Absit. Amate, sed quid ametis, videte. Quid amas, ut DEUM non ames, dic mihi: Ama si potes aliquid, quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam: vide utrum alicubi cupiditatis vitio tenearis, & diligendo Creatore impediaris, nisi ea re, quam creavit ipse, quem negligis. Quare amas ista, nisi quia pulchra sunt. Non possunt esse tam pulchra, quam ille à quo facta sunt. Miraris hæc, quia illum non vides, sed per ea, quæ miraris ama, quem non vides.

(a) *Coloss: 3. v. 14.* (b) *1. Cor: 13. v. 1.* (c) *S. Aug: serm: 2. de Divers.*

DIE XVIII.

IN omni virtute dilige eum, qui te fecit. (a) Quoniam DEUS prior dilexit nos, (b) Creavit DEUS Cœlum & terram, (c) Ut bene sit nobis. (d) DEUS creavit de terra hominem, & secundum Imaginem suā

fecit

fecit illum. (e) Redemit vos de domo servitutis *diaboli.* (f) Videte, qualem charitatem dedit vobis Pater. (g)

Ipsum DEUM amare pigeat, saltem nunc redamare non pigeat. S. Aug.

REFLEXIO.

NUlla sit mica sangvinis, quæ non bulliat amorem DEI: nullus animæ motus, qui non spiret amorem DEI. Redamandus est DEUS ita, ut si fieri potest, nos ipsos obliviscamur. (h) Deniq; unus est modus diligendi DEUM, diligere sine modo. (i) Quoniam diligere DEUM, nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas, quantùm habes. (k) Ama quomodo, & quantum vis, nunquam pervenies ad amorem, quo amatus es.

(a) *Eccl: 7. v. 32.* (b) *1. Joan: 4. v. 19.* (c) *Gen: 1. v. 1.* (d) *Jer: 42. v. 6.* (e) *Eccl: 17. v. 1.* (f) *Deut: 13. v. 5.* (g) *1. Joan: 3. v. 1.* (h) *S. Aug: Hom: 34. ex 50.* (i) *S. Bernard: ser: in Cant.* (k) *Orig: in Cant: Hom: 3.*

DIE XIX.

AUdi: Dominus DEUS vester Dominus unus est. (a) Unus est Altissimus Creator. (b) Unus est Magister vester. (c) Unus est Pater vester. (d) Unus Mediator DEI, & hominum, homo Christus. (e) Qui dedit redemptionem semetipsum pro

omni-

omnibus. (f) Dilige igitur Dominum DEUM tuum. (g) Et ipsi soli servies. (h)

Soli DEO debetur amor, quia unus, & solus est DEUS; quidquid est, aut DEUS est, aut DEI est.

REFLEXIO.

INterroga creaturam: si à se ipsa est, remane in illa; si autem à DEO est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori. (i) Sit amator noster, sit spes nostra DEUS noster. Qui fecit omnia, melior est omnibus; Qui pulchra fecit, pulchrior est: Qui fortia, fortior est. Qui magna, major est. Quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce redamare in creatura Creatorem, & in factura, Factorem: Ne teneat te, quod ab illo factum est; & amittas eum, à quo & ipse factus est. (k)

(a) *Deut: 16. v. 4.* (b) *Ecl: 1. v 8.* (c) *Math: 23. v. 8.* (d) *Ibid: v. 9.* (e) *1. Tim: 2. v. 5.* (f) *Ibid: v. 6.* (g) *Deut: 30.* (h) *Luc: 4. v. 8.* (i) *S. Aug: in Psal: 79.* (k) *Idem in Psal: 39.*

DIE XX.

NOn diligamus verbo, neq; lingva, sed opere & veritate. (a) In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus. (b) Hæc est enim charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus. (c) Qui enim habet mãdata mea, & servat ea, ille est, qui diligit

me.

me. Qui autem diligit me, dligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. (d)

Vis esse filius æterni Patris, ama. Amor trahit gratiam; gratia trahit naturam Divinã. S. Aug.

REFLEXIO.

TAnta nobis fecit DEUS, *ait S. Bernardus:* & nos ipsos omnino fecit. Est aliquid, si paucas horas vitæ nostræ demus amori DEI, qui dat omnem nobis vitam! si corde amo: cor meum jam totum est DEI: si voluntate amo, voluntas mea, non est mea, sed DEI. Utut amem, non tam ego amo, quàm ipse DEUS, qui mihi dat ut amem. Quid faciliùs, quàm amorem meũ in DEUM projicere, qui mihi dat ipsum amorem, ut amem? Quid magis necessarium, quàm ut reddatur DEO, quod DEI est? Si DEUM amo, amorem ego non facio, sed quem mihi dedit amorem, reddo. Totus ergo ei reddatur, & amor, & honor noster, à quo nobis est totum, unde honorare possumus vel amare. (e)

(a) *1. Joan: 3. v. 18.* (b) *Ibid: v. 19.* (c) *Ib: 5. v. 3.* (d) *Joan: 14. v. 21.* (e) *S. Bernard: ser: 82. in Psalm. Qui habitat.*

DIE XXI.

OMni vitâ tuâ dilige DEUM. (a) Quonia diligentibus DEUM, omnia coope-

rantur in bonum. (b) Qui enim diligit DEUM, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur. (c) Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. (d) Imo universa delicta, operit charitas. (e)

Non sine præmio diligitur, qui sine præmio est diligendus. S. Bernard.

REFLEXIO.

PUtidus est animus, qui non amat DEUM, nisi blandientem sibi, aut largientem sibi, aut ad propria vota servientem sibi: & mortui sunt, qui non DEUM gratis colunt, id est, quia ipse bonus est, non quia dat talia bona, quæ dat non bonis. (f) Si hominem se hortatur amicitiæ Regula, ut gratis diligas: quàm gratis amandus est DEUS, qui jubet, ut hominem diligas? Nihil delectabilius DEO. (g) Quid enim dulcius à DEO præmium, quàm ipse DEUS. (h) *Digam te Domine & nihil aliud.*

(a) *Eccl: 13 v. 18.* (b) *Rom. 8. v. 28.* (c) *Ec: 3. v. 4.* (d) *Luc. 7. v. 47.* (e) *Prov: 10. v. 12.* (f) S. *Aug: in Psal: 79.* (g) *Idem Hom: 38. ex 50.* (h) *Idem serm: 72. de Temp.*

DIE XXII.

CUr ergo sollicitus es, & turbaris erga plurima? (a) Porro unum est necessarium *diligere DEUM.* (b) Finis enim præ-

cepti

cepti eſt Charitas. (c) Plenitudo legis eſt dilectio. (d) Qui ergo diligunt DEUM, replebuntur lege ipſius. (e) Hæc tamen diligentiſſime præcavete, ut diligatis Dominum DEUM veſtrum. (f)

Tene unum verbum amo, quod eſt omne verbũ, & ſufficit tibi. S. Antonius.

REFLEXIO.

MAgna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat, unde jugiter fluat. Solus eſt amor, ex omnibus animæ motibus, ſenſibus, atq; affectibus, in quo poteſt creatura, & ſi non ex æquo reſpondere Authori, vel de ſimili mutuam rependere vicem. Verbi gratia, ſi mihi iraſcatur DEUS, num illi ego reiraſcar? Non utiq;, ſed pavebo, ſed contremiſcam, ſed veniam deprecabor. Si dominatur, me oportet ſervire, ſi imperat, me oportet parere; & non viciſſim à Domino vel ſervitium exigere, vel obſequiũ. Hinc jam videas de amore, quàm aliter ſit. Nam cum amat DEUS, non aliud vult, quam amari. (g)

(a) *Luc:* 10. *v.* 41. (b) *Ibid:* *v.* 42. (c) 1. *Tim:* 1. *v.* 5. (d) *Rom:* 13. *v.* 10. (e) *Eccl:* 2. *v.* 19. (f) *Joſua* 23. *v.* 11. (g) *S. Bernard: ſerm:* 83. *in Cant.*

DIE

DIE XXIII.

UNus est bonus DEUS. (a) Nemo igitur bonus, nisi DEUS. (b) Ut quid diligitis vanitatem? *mundum.* (c) Usquequo parvuli diligitis infantiam. (d) Nunquid servus duobus Dominis potest servire? & alterum non contemnet. (e) Propterea odite malum, & diligite Bonum. (f)

Si terram diligis, terra es; si DEUM diligis, quid vis ut dicam? Deus es. S. Aug.

REFLEXIO.

DEUS vera, & summa vita, in quo, & à quo, & per quem vivunt, quæ verè sũmèq; vivunt omnia. DEUS Beatitudo, in quo, & à quo, & per quem beata sunt, quæ beata sunt DEUS sunt omnia. DEUS bonum, & pulchrum, in quo, & à quo, & per quem bona, & pulchra suut, quæ bona & pulchra sunt omnia. DEUS, quem nemo quærit, nisi admonitus, quem nemo invenit, nisi purgatus. DEUS, cui nos fides excitat spes regit, charitas jungit. *Fac me Pater quærere te,* clamat S. Augustinus: *vindica me ab errore: quærenti te mihi, nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero, quam te, inveniam te, jam quæso Pater, fac idoneum ad videndum te. Tu scis, quia amo te.* (g)

(a) *Math:* 19. v. 17. (b) *Luc:* 18. v. 19. (c) *Psal:* 4. v. 3. (d) *Prov:* 1. v. 22. (e) *Luc:* 16. v. 13.

v. 13. (f) *Amos 5. v. 15.* (g) *S. Aug: l. soliloq. Cap: 1.*

DIE XXIV.

SI dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. (a) Quare, dilige Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua. (b) Et super hominum gloriam diligeris. (c) Si quis enim diligit. .. Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. (d)

Nihil proderunt alia dona, sine charitate adde amorem, & omnia sunt proficua. S. Aug.

AFFECTUS.

SUrgam, & circumibo Civitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. (e) Quoniam tu pulcher, dilectus mi *JESU*, & decorus. (f)

(a) *Cant: 8. v. 7.* (b) *Deut: 30. v. 6.* (c) *Ec: 3. v. 19.* (d) *Joan: 14. v. 23.* (e) *Cant: 3. v. 2.* (f) *Ibid: 1. v. 15.*

DIE XXV.

MEDITATIO XLVIII.

De Perseverantia.

ITaq; Fratres mei dilectissimi stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini. Semper scientes, quia labor vester, non est inanis. (a) Videte vos-

meti-

metipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis. ſbj Quoniam nemo mittens manus ſuas ad aratrũ, & aſpiciens retro, aptus eſt Regno DEI. ſcj

Non eſt beatus, qui bene agit, ſed qui continuò agit. S. Iſid.

R E F L E X I O.

IN antiquâ lege omnia primogenita tam de hominibus, quàm de pecoribus, & animalibus DEUS ſibi in Sacrificium offerri præcepit, ſolùm ab Altaribus ſuis aſinum proſcriptum eſſe voluit. *Primogenitum* inquit *aſini mutabis ove.* ſdj Porro quamvis plurimas rationes Sacri interpretes hujus Myſterii afferant, omiſsîs tamen aliîs hæc ad propoſitum noſtrum magis deſervit; quia per aſinos denotantur illi, qui bene quidẽ incipiunt, ſed in medio itinere fatigati cõquieſcunt; Solet enim communi proverbio dici: *Curſus aſini parum durat.* Hos igitur DEUS à ſe rejicit, & tanquam ſua protectione indignos abominatur. Quamobrem ſi o Religioſe cupis DEO grata victima in Cœlo immolari, exuere debes proprietates aſini, ideſt, omnem ſocordiam, & faſtidiũ procul à ſe amandare adinſtar cervi velocitèr, arreptam virtutis viam progredi. Proinde meritò exhortatur S. Iſidorus inquiẽs: *Eſto in pœnitentia firmiter confirmatus, vitam bonam, quam cœpiſti tenere non deſeras, propoſitum*

bona

bona vitæ conserva jugiter beatus eris, si permāseris, beatior si perseveraveris. (e)

(a) *1. Cor: 15. v. 58.* (b) *2. Joan: v. 8.* (c) *Luc: 9. v. 62.* (d) *Exod: 13. v. 15.* (e) *S. Isid: l. 1. Synon. in fine.*

DIE XXVI.

NEscitis quia hi, qui in stadio currunt: omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. (a) Propterea bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus, nō deficientes. (b) Quoniam cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilē gloriæ coronam. (c)

Obedientia seminat, patientia fructificat, perseverantia autem metit. S. Bonav.

REFLEXIO.

S. Bonaventura ad illum Apostoli textum se reflectens: *Omnes quidem currunt &c.* ita scribit: Sic de virtutibus potest dici, nā virtutes ad Regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium. Nam currunt, mundi contemptus, paupertas, abstinentia, vigiliæ obedientia, patentia, sed sola perseverantia coronatur; *nam qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit.* (d) Præterea etiam sicut nullum opus, quamvis videatur perfectissimum, sine charitate DEO placere potest, teste Apostolo dicente: *Si lingvîs hominum*

minum loquar, & Angelorum charitatem autem non habeam &c. (e) Ita quoq; nulla virtus, nec ullum bonum opus remuneratione expectare debet, nisi fuerit perseverantiæ adjunctum. (f)

(a) *1. Cor: 9. v. 24.* (b) *Gal: 6. v. 9.* (c) *1. Petri 5. v. 4.* (d) *Psal: 67.* (e) *1. Cor: 13. v. 1.* (f) *S. Bonav.*

DIE XXVII.

NOn coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. (a) Si vos, qui mansistis mecum in tentationibus meis. Et ego Christus dispono vobis regnum, sicut dispofuit mihi Pater meus. (b) Dabo ei sedere mecum in throno meo. (c) Esto ergo fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. (d) Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. (e)

Aliæ virtutes coronam merentur, sed perseverantia sola coronatur. S. Bonav.

REFLEXIO.

PErseverantia sola coronatur, & impetrat quod vult. Unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, ut panem, si perseveraverit, pulsans obtineat. Et si non dabit eò, quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit quotquot habet necessarios. Si enim homo perseveranti petenti dat ex tædio,

multò

multò magis DEUS, qui ſine tædio largiſſimè donat, quod petitur, perſeveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perſeverantibus in prece? virtutibus? qui ut gratis tribuat nobis, hortatur ut petamus.

(a) *2. Tim: 2. v. 5.* (b) *Luc: 22. v. 28. & 29.* (c) *Apoc: 3. v. 21.* (d) *Ibid: 2. v. 10.* (e) *Ibid: 3. v. 11.*

DIE XXVIII.

QUomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? (a) Nunquid vir duplex animo conſtans fuit in omnibus viis ſuis? (b) Uxor *Loth* poſt ſe verſa eſt in ſtatuam ſalis nonne reſpiciens? (c) Væ igitur his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. (d)

Felix ſapientia, quæ ex aliorum acquiritur ſtultitia. Seneca.

REFLEXIO.

NOn minus expavendum, quàm mirandũ eſt, quod in Geneſi C. 19. legitur de uxore Loth, quæ dum incendium effugiſſet, reſpexit retrò, & ecce verſa eſt in ſtatuam ſalis. O verè terribilis pœna! cur autem tam repente hanc fæminæ curioſitatem DEUS ita caſtigare voluit, cum fortaſſis illa ut arbitramur ex motivo compaſ-

ſionis

ſionis reſpexerit? Ideo certè ut benigniſſimus DEUS ſollicitè nos doceret, quanti referat, ne aliquis, qui ſemel peccato terga vertit, jamq; virtutis montem aſcendere cœpit, unquam retrò gradiatur. At proinde per altiſſimam ſuam providentiam diſpoſuit, ut uxor *Loth* non in ſtatuam aliquam ligneam, marmoream, &c: Sed in ſalis ſtatuam converteretur. Sic enim S. Aug: ait: *DEUS nobis quoddam præſtitit condimentum, quò ſapiamus aliquid, & à ſimili infortunio nobis diligenter caveamus, & hac cogitatione velut ſale conditi proſequamur captum iter noſtrum nec oculos reflectamus, ne nos quoq; ſimilem exitum malo noſtro experiamur.* (e)

(a) *Iſa:* 14. v. 12. (b) *Job:* 1. v. 8. (c) *Gen:* 19. v. 26. (d) *Eccl:* 2. v. 16. (e) *S. Aug: Hom: in Gen.*

DIE XXIX.

SIc ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini? (a) Ah nolite facere ſtultitiam hanc! (b) Sed ſicut accepiſtis JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuper ædificati, in ipſo. (c) Omnis enim, qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, DEUM non habet. Qui verò permanet in doctrina, habet Patrem, & Filium habet. (d)

Quid

Quid prodest Christum sequi, si non contingat assequi. S. Bernard.

R E F L E X I O.

MUlti sequuntur Christum, usq; ad fractionem panis, sed pauci ad bibendum calicem Passionis; multi illum laudant & benedicunt, quamdiù consolationes aliquas ab ipso accipiunt. Si autem *JESUS* se abscondenrit, & modicum eos reliquerit in quærimoniam, vel dejectionem nimiam, cadunt. Qui autem *JESUM* propter *JESUM*, & non propter aliqnam suam propriam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione, & angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt. [e]

(a) *Gal: 3. v. 3.* (b) *2. Reg: 13. v. 12.* (c) *Coloss: 2. v. 6.* (d) *2. Joan: v. 9.* (e) *Gers: de Imit: Christi l. 2. C. 11.*

D I E XXX.

NOn ventiles te, in omnem ventum, & non eas in omnem viam. [a] Unusquisq; ergo in quo vocatus est, in hoc permaneat. [b] Ibi manete, & non regredimini. [c] Quoniam qui manet in me *Christo*, & ego in eo, hic fert fructum multum. Si quis verò in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet. [d]

Scito, quia diabolus solam perseveratiam odit, quam scit à Domino coronari. S. Bernard.

R E-

REFLEXIO.

NIhil ergo prodeſt incipere, ſi non etiam in inceptis usq; in finem perſeveramus. Hinc ſi quis omnia in iſto libro jam ſpecificata, per viam purgativam, Illuminativā, Unitivam ad amuſſim ſervaret, ſed in his viis, non perſeveraret, nihil molumenti, ex omnibus reportaret, quia ſalus æterna promittitur quidem incipientibus, & in virtutum ſemita ambulantibus, non tamen datur, niſi perſeverantibus. Unde DEUS per Ezech: Prophetam ait: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecit, non recordabuntur.* (e) Rectè ergo dicit B. Hieron: *Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis; Paulus male capit, ſed bene finivit: Judas bene cœpit, ſed male finivit.* (f) Ergo ſi finis bonus, laudabile totum.

(a) *Eccl: 5. v. 11.* (b) *1. Cor: 7. v. 20.* (c) *Luc: 11 v. 26.* (d) *Joan: 15. v. 6.* (e) *Ezech: C. 18. v. 24.* (f) *S. Hieron: l. 1. contr: Jovin.*

DIE XXXI.

QUi perſeveraverit usq; in finem, hic ſalvus erit. (a) Propter quod ne fatigemini animis veſtris deficientes. (b) Sed in diſciplina perſeverate. (c) Et in opere mandatorum tuorum veteraſce. (d) Ut in omnibus glorificetur DEUS per JESUM Chri-

Christum, cui honor & gloria, in sæcula sæculorum Amen. (e);

Non est magnum inhoare, quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. S. Aug.

R E F L E X I O.

FElix anima, quæ vitam suam ad bonum perseverantiæ finem, perducere meretur, ut post multos labores corporis, & dolores cordis, possit in fine dicere, quod Christus in Cruce dixit: *Consummatum est.* (f) Aut etiam aliquando dicere possimus cum S. Paulo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo posita est mihi corona justitia.* (g) Quod misericors DEUS, mihi, & tibi præstare dignetur, ex corde precor. Vale.

(a) *Math:* 10. *v.* 22. (b) *Habr:* 12. *v.* 3. (c) *Ibid: v.* 7. (d) *Eccl:* 11. *v.* 21. (e) *ad Rom:* 16. (f) *Thom: à Kemp: serm:* 30. *ad Novitios.* (g) 2. *Tim:* 4. *v.* 7. *&* 8.

M J

INDI-

INDICULUS MEDITATIONUM.

Prior numerus Ordinem, alter Paginam Meditationum denotat.

De Hu-

R.

S.

T.

V.

Z.